This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Yc 40.
626

Lc 40.626



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

16 Nov., 1886.

5BC1

QUAESTIONES CHRONOLOGICAE

DE

REBUS A CICERONE INDE A TRADITA CILICIA PROVINCIA USQUE AD RELICTAM ITALIAM GESTIS

DEQUE

EPISTULIS INTRA ILLUD TEMPUS (A. 704 ET 705) DATIS ACCEPTISVE.

SCRIPSIT

GUILELMUS STERNKOPF
DR. PHIL.

MARBURGI.
APUD N. G. ELWERTUM BIBLIOPOLAM ACADEMICUM.
MDCCCLXXXIV.

NOV16 1886

Treasury fund.

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

CAROLO THOENES

PASTORI EVANGELICO LENNEPENSI

ATQUE

EUGENIO BORMANN

PROFESSORI MARBURGENSI

GRATI ANIMI TESTANDI CAUSA
PRIMITIAS LITTERARUM

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

I. Tabula chronologica.

A. 704.

30. Quint.	M. Tullius Cicero imp. C. Coelio Caldo quaestori Ciliciam provinciam tradidit [1]).
3. Sext.	Tarso profectus Cicero ad Sidam urbem navi accessit [2]).
	Inde paulo post Rhodum se contulit [3]).
	Epistulae ad fam. III, 12, ad Att. VI, 6, ad fam. II, 15 aut Sida a. d. III. non. Sext. missae sunt aut paulo post Rhodo [4]).
	Haud ita multo post missam ad Appium ep. III, 12 Cicero ad eundem dedit ep. III, 13 [5]).
Sext. Sept.	Rhodi et Ephesi per Sext. et Sept. deinceps commoratus est; quando vero Rhodo Ephesum navigaverit ignoratur [6]).
19. Sept.	[Atticus rediens ex Epiro Romam pervenit] [7]).
15.—22. »	[Caelii ep. VIII, 12 Roma missa] [8]).
23. »	[Caelii ep. VIII, 14 Roma missa]
	[Hoc fere tempore Romae rumor erat, Caesarem legiones quattuor Placentiam ducturum esse] [9]).
1. Oct.	Epheso Cicero profectus est; proficiscens dedit epistulam ad Att. VI, 8 [10]).
	[Circa ineuntem Octobrem Bibulus, qui Syriae praefuerat, de provincia decessit] [11]).
14. »	Cicero in Piraeum exiit; eodem die et Pompei et Caesaris litteras accepit [12]).

15. Oct.	Athenis dedit ep. ad Att. VI, 9 [13]).
16. »	Indidem misit epp. ad Att. VII, 1, ad Terent. XIV, 5 [14]).
	Paulo post Athenis profectus est [15]).
	[Mense Octobri Dolabella et Tullia coniugium inisse videntur] [16]).
2. Nov.	Patris Cicero Tironem aegrotum reliquit [17]).
3. »	Ex navigatione misit ad eum ep. XVI, 1 [18]).
4. »	Alyziam accessit [19]).
5. »	Ibi Quinti fratris adventum exspectavit, scripsitque ad Tironem ep. XVI, 2 [20]).
6. »	Alyzia proficiscens dedit ep. ad Tir. XVI, 3. Eodem die Leucadem venit [21]).
7. »	Leucade misit ep. XVI, 4; eodem die cum proficisceretur dedit ep. XVI, 5; vesperi Actium venit indeque misit ep. XVI, 6 [22]).
8. »	Actii propter tempestatem moratus est [23]).
9. »	Actio profectus Corcyram venit [24]).
10.—15. »	Corcyrae ventis retentus est [25]).
16. »	Corcyra dedit ad Tir. ep. XVI, 7; post datam ep. in portum Corcyraeorum ad Cassiopen processit [26]).
16.—21. »	Ibi ventis retentus est [27]).
22. »	Post cenam profectus est [28]).
23. »	Hydruntem pervenit [29]).
24. »	Brundisium venit hora quarta; ibi cum Terentia uxore congressus est [30]).
c. 27. »	Brundisio dedit ep. ad Tir. XVI, 9, ad Att. VII, 2. — Eodem die vel paulo post profectus est [31]).
	[Mense Novembri M. Caelius Rufus aed. cur. Caesaris partes amplecti coepit] [32]).
6. Dec.	Cicero Aeculanum pervenit. — [Eodem die, vesperi, Hirtius a Caesare missus Romam venit] [33]).
9. »	Ex Trebulano Cic. dedit ep. ad Att. VII, 3, in qua se litteras a Balbo et Caesare accepisse significat [34]).
10. »	Cum Pompeio in Campania commoranti congressus est [35]).

10.-14.Dec.	Ep. ad Att. VII, 4 e Campania missa [36]).
	Paulo post epp. ad Att. VII, 5 et 6 datae sunt [37]).
c. 20. »	Ep. ad Att. VII, 7 [38]).
21. »	[Antonius tr. pl. Romae contionem habuit, qua vitam Pompei exagitavit] [39]).
25. »	Iterum Cicero cum Pompeio congressus est; Lavernio una Formias venerunt [40]).
c. 26. »	Misit ad Att. ep. VII, 8, ex Formiano ut videtur [41]).
c. 27. »	Ep. ad Att. VII, 9 [42]).
A. 705.	
1. Jan.	De Formiano profectus est [43]).
3. »	In Albanum pervenit [43]).
4. »	Ad urbem accessit [44]).
5.—11. »	Inter turbulentissimas proximorum dierum de re publica actiones, cum et ultimum illud senatus consultum fieret, et Antonius Cassiusque ad Caesarem ex urbe proficiscerentur, nec Cicero discordiis mederi posset, de triumpho Ciceronis in senatu actum est. — Regiones Italiae discriptae sunt, quam quisque partem tueretur; Cicero Capuam sumpsit [45]).
12. »	Ad urbem scripsit ep. ad Tir. XVI, 11 [46]).
4.—17. »	Ep. ad fam. V, 20 [47]).
17. »	Pompeius proficiscens ex urbe cum Cicerone collocutus est [48]).
18. »	Ante lucem Cicero, cum ab urbe decederet, dedit ep. ad Att. VII, 10 [49]).
19. »	Postquam comperit Anconam amissam esse, Labienum discessisse a Caesare, scripsit ep. ad Att. VII, 11; orae maritimae praeesse coepit [50]).
21. »	Formiis vidit Lentulum consulem et Libonem [51]).
22. »	Indidem dedit epp. ad Att. VII, 12, ad Terent. XIV, 18. Deinde Minturnas se contulit [52]).
	[Eodem die Labienus Pompeium consulesque Teani convenit] [53]).

	[Hortatu Caesaris Trebatius litteras Ciceroni misit][54]).
23. Jan.	Ante lucem Minturnis Cic. dedit epp. ad Att. VII, 13[a], ad Terent. XIV, 14[55]).
	Mane Minturnis vidit L. Caesarem, qui mandata Caesaris ad Pompeium laturus erat. [Is eodem die Teanum pervenit, ubi ab optimatibus condicio probata est][56]).
24. »	Cic. dedit ep. ad Att. VII, 13[b]. Cales profectus est[57]).
25. »	Calibus proficiscens dedit ep. VII, 14; Capuam pervenit, ubi cum consulibus multisque senatoribus congressus est. Consilia habita sunt: Fannius cum imperio in Siciliam praemissus[58]). [Eodem die Pompeius Teano profectus est, ut in Apuliam pergeret][59]).
26. »	Capua Cic. dedit ep. ad Att. VII, 15[60]).
27. »	Indidem ep. ad Tiron. XVI, 12[61]).
	Eodem fere tempore Q. Ciceronis ad Tir. ep. XVI, 8 missa esse videtur[62]).
28. »	Cic. Capua profectus Cales venit; inde hora nona dedit ep. ad Att. VII, 16[63]).
29. »	In Formianum revertit[64]).
2. Febr.	Ex Formiano dedit ep. ad Att. VII, 17[65]).
	Mulieres (Terentia, Tullia) Roma Formias venerunt[66]).
3. »	Ex Formiano ante lucem dedit ep. VII, 18*), profecturus cum fratre Capuam; mane accepit eiusmodi litteras, quibus appareret, L. Caesaris legationem vanam esse; quibus lectis dedit ep. VII, 19 Capuamque ire perrexit[67]).
4. »	Capuam pervenit audivitque Pompeium Luceriae esse[68]).
5. »	Capua dedit ep. VII, 20; eodem die sero Lentulus consul Capuam venit[69]).

*) Ubi nihil numero additur, epistulam ad Atticum missam significari putato.

5.—7.Febr.	Ad acceptam aliquam Caesaris ep., quae erat de eius gladiatoribus, Cicero Capua responsa dedit[70]).
7. »	[C. Cassius tr. pl. Capuam venit; attulit Pompei mandata ad consules ut pecuniam de sanctiore aerario Roma auferrent][71]).
	Cic. Capua profectus est; mansit Calibus[72]).
8. »	Calibus ante lucem dedit ep. VII, 21. Deinde in Formianum revertit[73]).
9. »	Ex Formiano dedit ep. VII, 22. Vesperi litteras accepit, Domitium exercitum firmum habere, Caesarem intercludi posse[74]).
10. »	Ex Formiano VII, 23. Post datam ep. Capua a Lucretio litterae ad C. Cassium venerunt: in Piceno rem non bene geri; consules Capua discessisse[75]).
	[Eodem die Pompeius ad Cic. dedit Luceria ep. VIII, 11, A.][76]).
10.-11. »	Ex Formiano missae epp. VII, 24 et 25[77]).
c. 12. »	[Pompeius D. Laelio dedit mandata ad consules. Eodem fere tempore — inter 10. et 16. Febr. — scripsit ep. ad Domitium VIII, 12, B][78]).
13.-15. »	Cic. ex Formiano dedit ep. VII, 26: bona de Domitio, praeclara de Afranio fama erat[79]).
15. »	Formiis Cic. accepit epistulam Pompei (VIII, 11, A) statimque rescripsit ep. VIII, 11, B et Tullium ad Pompeium misit[80]).
	[Eodem die Caesar ad Corfinium castra posuit][81]).
16. »	Formiis (vel ex Formiano) Cic. dedit ep. VIII, 1[82]).
	[Pompeius Luceria ad Domitium dedit ep. VIII, 12, C][83]).
17. »	Cic. Formiis dedit ep. ad Att. VIII, 2; misit etiam ad Caesarem litteras, quae non exstant[84]).
	Hoc die, ut videtur, profecturus ad Pompeium in Apuliam Cales usque processit Formiis[85]).

	[Pompeius ad Domitium misit ep. VIII, 12, D; ad Lentulum consulem VIII, 6 § 3][86]).
18.-19.Feb.	[Pomp. ad consules dedit ep. VIII, 12, A][87]).
19. »	[Pomp. Luceria Canusium se contulit][88]).
18.-21. »	Noctu (fortasse ea nocte quae est inter 18. et 19. Febr.) Cicero conscripsit in Caleno ep. VIII, 3. Accepit illa nocte nuntium, Caesarem ad Corfinium venisse. Mane Formias se recepit[89]).
20. »	[Pomp. Canusio dedit ad Cic. ep. VIII, 11, C][90]).
21. »	[Pomp. mane Canusio Brundisium versus profectus est; eodem die Caesar Domitianos in deditionem accepit atque post meridiem Corfinio profectus est][91]).
22. »	Ex Formiano Cic. dedit ep. VIII, 4 ante lucem. Audiverat Sulmonem Antonio traditum esse. — Vesperi scripsit ep. VIII, 5[92]).
23. »	Ex Formiano VIII, 6[93]).
23.-24. »	» » VIII, 7[94]).
24. »	» » VIII, 8: aiebant Domitium se tradidisse. — Vesperi Balbus minor, a Caesare ad Lentulum consulem cum litteris missus, Ciceroni in Formianum mandata Caesaris attulit[95]).
25. »	Ex Formiano ep. VIII, 9[96]).
	[Pomp. eodem die Brundisium venit][97]).
26. »	Ex Formiano VIII, 10[98]).
27. »	Cic. accepit Pompei epistulam (VIII, 11, C); scripsit ad eum VIII, 11, D et ad Att. VIII, 11[99]).
28. »	Dedit ep. VIII, 12 (ex Formiano)[100]).
27. Feb. — 1. Mart.	Balbi ad Cic. ep. VIII, 15, A missa est[101]).
1. Mart.	[Caesar Arpis mansit[102]). — Hoc fere tempore scripsit epistulam ad Oppium et Balbum IX, 7, C][103]). Cicero kal. Mart. dedit ep. ad Att. VIII, 13[98]).
2. »	Ep. VIII, 14[98]).

3. Mart.	Cic. accepit Balbi epistulam (VIII, 15, A); misit ad Att. ep. VIII, 15 [104]).
	[Hoc fere tempore Balbi et Oppii ad Cic. ep. IX, 7, A missa est Roma] [103]).
4. »	Cic. dedit ep. VIII, 16 [98]).
	[Eodem die Pompeius consules cum parte copiarum Brundisio in Epirum praemisit] [105]).
6. »	Ex Formiano Cic. misit ep. IX, 1 [106]).
	[Hoc fere tempore, accepta Caesaris ep. IX, 7, C, Balbus Ciceroni misit ep. IX, 7, B] [103]).
	[Ineunte Martio etiam M. Caelii epistula (ad fam.) VIII, 15 scripta est] [107]).
7. »	Ex Formiano Cic. dedit ep. IX, 2[a] [108]).
	[Circ. nonas etiam Caesaris ad Cic. ep. IX, 6, A scripta est] [109].
8. »	Ex Formiano ep. IX, 2[b]. [Attici dies natalis?] [110]).
9. »	Ex Formiano ep. IX, 3 [111]).
	[Eodem die Caesar Brundisium pervenit] [112]).
10. »	Ex Formiano ep. IX, 5 [113]).
11. »	Indidem ep. IX, 6 [113]). — Roma nuntium acceperat, cohortis sex, quae Albae fuissent, ad Curium transisse. — Cum scriberet epistulam, Capua allatum est, Pompeium cum omnibus copiis transisse die 4. Martii. — Epistula Caesaris IX, 6, A allata est per Furnium [114]).
c. 12. »	[Postquam Pompeius N. Magium de pace misit, Caesar scripsit ad Oppium et Balbum eam epistulam, quae inserta est Balbi ad Cic. epistulae IX, 13, A] [115]).
12. »	Cic. in Formiano scripsit ep. IX, 4 [113]).
13. »	Ex Formiano IX, 7 [113]).
14. »	» » IX, 8 [113]).
	[Eodem die Caesar scripsit epistulam ad Q. Pedium, quae est in ep. IX, 14 § 1] [116]).

17. Mart.	Ex Formiano IX, 9[117]).
	[Pompeius mare transiit][118]).
18. »	Ex Formiano IX, 10[119]).
	[Caesar Brundisium introiit][120]).
19.-20. »	Ciceronis ad Caesarem ep. IX, 11, A[121]).
20. »	Ad Atticum ep. IX, 11[122]). — Accepto nuntio, Pompeium interclusum esse, scripsit ep. IX, 12[123]).
c. 20. »	[Balbi ad Cic. ep. IX, 13, A][125]).
23. »	Ex Formiano Cic. dedit ep. IX, 13[a] (= § 1—7; nam inde a § 8 nova ep. incipit)[124]).
24. »	Ex Formiano ep. IX, 13[b] (§ 8 sqq.), quae post acceptam Balbi ep. IX, 13, A conscripta est[125]).
25. »	Ante lucem Cic. dedit ep. IX, 14[126]).
	Eodem die dedit ep. IX, 15, cui adnexuit epistulam Matii et Trebatii modo allatam[127]).
	[Caesar Beneventi mansit][128]).
26. »	Cicero ex Formiano dedit ep. IX, 16, cui adiecit epistulam Caesaris eodem die acceptam. [Ea Caesaris ep. circa medium Mart. data esse videtur][129]).
	[Caesar hoc die Capuae mansit][130]).
27. »	E Formiano Cic. misit ep. IX, 17[131]).
	[Caesar Sinuessae mansit][132]).
28. »	Caesar Formiis cum Cicerone congressus est; inde Cicero Arpinum, ille in Pedanum se contulit[133]).
29. »	Arpino Cic. dedit ep. IX, 18[134]).
	Paulo post filio ibi togam puram dedit[135]).
c. 31. »	[Caesar ad urbem accessit][136]).
c. 1. Apr.	Arpino Cic. misit ep. IX, 19[137]).
3. »	Cic. in Laterium venit deditque ep. X, 1[138]).
5. »	In Arcano fuit: eo die aut postridie dedit ep. X, 2[139]).
c. 6. »	[Caesar ex urbe profectus est ad bellum in Hispania gerendum][140]).
7. »	Ex Arcano Cic. dedit ep. X, 3[a]. Eodem die cum accepisset Caesaris litteras, quibus ille ignovit,

	quod non in senatum venisset, misit ad Att. ep. X, 3[b] [141]).
ante 13. Apr.	Q. Cic. filius post missas ad Caesarem litteras clam a patruo profectus Hirtium convenit, deinde a Caesare arcessitus est. — M. Tullius hoc tempore in Cumano fuit [142]).
13. »	Curio vesperi in agrum Cumanum venit [143]).
14. »	In Cumano Cicero cum scripsisset epistulae X, 4 paragraphos 1—7, Curio eius villam praeteriit; qui postquam Puteolis contionatus est reversus in Cumanum cum Cicerone collocutus est de rebus Romae gestis. Quo facto Cicero adiunxit epistulae §§ 8 sqq. [144]).
16. »	Ex Cumano Cic. dedit ep. X, 5 [145]).
	[Eodem die Caesar ex itinere Hispaniensi dedit ad Ciceronem ep. X, 8, B] [146]).
	[Eodem fere tempore M. Caelii ad Ciceronem epistula X, 9, A (=ad fam. VIII, 16) conscripta esse videtur] [147]).
17.-27. »	Ex Cumano Cicero misit epp. X, 6 et 7 [148]). —
	Quintus puer a Caesare revertit. Ciceroni in animo erat, Melitam se conferre [149]).
	Eodem fere tempore, quo ep. X, 7, etiam ad Servium ep. IV, 1 missa est [150]).
23. »	[Cato deserta Sicilia Syracusis profectus est] [151]).
28. Apr.— 3. Mai.	Ep. ad Servium IV, 2 ex Cumano missa [152]).
	Eodem fere tempore ep. ad fam. V, 19 [153]).
2. Mai.	Cic. in Cumano accepit Antonii epistulam X, 8, A (quae, paulo ante data est) et Caesaris litteras supra commemoratas (X, 8, B). Scripsit ad Atticum ep. X, 8 [154]).
	Eodem die etiam Caelii epistulam (X, 9, A = fam. VIII, 16) accepisse videtur [155]).
	[Antonius, praefectus Ita liae, hoc die Misenum venit] [156]).

3. Mai.	Cic. ex Cumano misit ep. X, 9. — Accepta ab Antonio epistula dedit ad Att. X. 10 [157]).
	[Vesperi Antonius in agrum Cumanum venit] [158]).
	Hoc fere tempore Cic. rescripsit ad Caelii litteras epistula II, 16 [159]).
4. »	Misit ex Cumano X, 11 [160]).
5. »	Indidem X, 12ª [161]).
6. »	» X, 12ᵇ, ex qua apparet eum de Massiliensium facto certiorem esse factum [162]).
7. »	Ex Cumano dedit ep. X, 13 [163]).
8. »	Ser. Sulpicius Ciceronem convenit [164]).
10. »	[Antonius Capuam profectus est] [165]).
12. »	Data ep. X, 15 Cic. in Pompeianum excurrit [166]).
13. »	Revertit in Cumanum [167]).
14. »	Misit ep. X, 16. Conscripta epistula Hortensius eum convenit [168]).
16. »	Ex Cumano X, 17 [169]).
19. »	Tullia peperit puerum *ἐπταμηνιαῖον*. Cic. dedit ep. X, 18, in qua Formias se velle significat [170]).
7. Jun.	Nave conscensa ex portu (Caietano) misit ep. ad Terentiam XIV, 7 [171]).

II. Argumentatio.

1) Venerat Cicero in provinciam post trium mensium iter[a] pr. kal. Sext. (= 31. Quint.) a. u. c. 703: ex illo die clavus anni movendus erat[b]. Nam provinciale munus ut annuum esset et senatus consulto et lege constitutum erat[c]. Per totum autem annum Cicero creberrimis litteris ab amicis contendit, ut operam darent, ne quid sibi ad provinciam temporis prorogaretur[d]. Quin etiam in eo Atticum pugnare voluit, ne intercalaretur mense Februario 704[e]. Neque intercalatum est, quamquam Curio tr. pl. ut fieret operam dedit[f]. Atque illud quoque ex Ciceronis voluntate factum est, ut annus eius statu suo maneret[g]. Itaque potuit, ut optaverat, post emeritas annuas operas decedere; ultimus autem anni dies erat a. d. III. kal. Sext. (= 30. Quint.)[h]. Sed quoniam successor constitutus non erat, ex senatus consulto relinquendus ei fuit qui praeesset[i]. Diu dubitavit, quemnam provinciae praeficeret[k]; exspectavit tamen C. Coelium Caldum, qui anno 704 post L. Mescinium Rufum ei quaestor obtigerat; is aptissimus esse videbatur quem relinqueret[l]. Qui quando in Ciliciam venerit, incertum est; nam a. d. V. kal. Quint. (= 26. Jun.) nihildum certi de eo Cicero

---

a) Ineunte enim Maio Roma profectus erat; cf. ad Att. V, 1 sqq.
b) cf. ad Att. V, 15, 1.
c) cf. ad Att. V, 9, 2; ad fam. XV, 9, 2; 14, 5.
d) cf. ad Att. V, 1, 1; 2, 1; 9, 2; 11, 5; 13, 3; 15, 1; 17, 5; 18, 1; 20, 7; 21, 3; VI, 1, 14. — ad fam. II, 7, 4; 8, 3; 10, 4; III, 8, 9; VIII, 10, 5; XV, 9, 2; 12, 2; 13, 3; 14, 5.
e) cf. ad Att. V, 9, 2; 13, 3; v. etiam V, 21, 14; VI, 1, 12.
f) cf. ad fam. VIII, 6, 5.
g) cf. ad Att. VII, 3, 1.
h) cf. ad Att. V, 21, 9 (ubi recte Manutius); VI, 2, 6; 3, 1.
i) cf. ad Att. VI, 4, 1.
k) cf. ad Att. VI, 3, 1; 4, 1.
l) cf. ad Att. VI, 2, 10; 4, 1; 5, 3; ad fam. II, 19.

habebat[a], in epistulis autem postea datis de eius adventus die nihil legitur. Tamen ante exeuntem Ciceronis annum venisse putandus est; neque enim Cicero ubi scribit se C. Coelium provinciae praefecisse[b], quicquam addit se diutius quam ad a. d. III. kal. Sext. exspectasse. Accedit quod in epistula a. d. XVI. k. Sext. (= 17. Quint.) data scribit[c]: »quin ad diem decedam, nulla causa est«, ex quo effici videtur, illo tempore Coelium iam in Cilicia fuisse. Apparet igitur, Ciceronem a. d. III. k. Sext. (= 30. Quint.) provinciam quaestori tradidisse et ad diem, ut voluerat, decessisse.

2) cf. ep. ad fam. III, 12 § 4.

3) Quo itinere Cicero Tarso Ephesum redierit, paulo accuratius nobis erit exponendum; video enim Gruberum in libello[d], qui est de temporibus Tullianarum epistularum, non recte de eo itinere disseruisse. Dicit autem haec: »Laodicea, confecta iurisdictione, in Ciliciam profectus est, Tarsumque transiit, ut in castra ad Pyramum perveniret; inde rediens iterum Tarsum tetigit navique perrexit Sidam usque; hinc Laodiceam rediit, ut ab Epheso Athenas traiceret«. Quae videamus num bene se habeant. Atque itineris illis verbis descripti etsi prior pars non cadit in huius disputationis orbem, tamen de ea quoque paucis disputabo.

Aestivis anni 703 confectis Cicero, cum Tarso nonis Ianuariis a. u. 704 (= 5. Jan.) profectus esset[e], Laodiceam a. d. III. id. Febr. (= 11. Febr.) venerat[f]. Exponit autem Cicero, quibus rebus agendis reliquum annui muneris tempus conficere velit, in ep. ad Att. V, 21 § 9 hunc in modum: »idibus Februariis . . . forum instituerat agere Laodiceae Cibyraticum et Apamense, ex idibus Martiis ibidem Synnadense, Pamphylium... Lycaonium, Isauricum; ex idibus Maiis in Ciliciam, ut ibi Iunius[g] consumatur . . . Quintilis, si erit ut volumus, in itinere est per provinciam redeuntibus consumendus«. Voluit igitur Laodiceae commorari usque ad idus Maias, deinde in Ciliciam proficisci, ubi per mensem Iunium manere statuit, tum mense Quintili, qui erat ultimus annui muneris, redire per

a) cf. ad Att. VI, 5, 3.
b) cf. ad Att. VI, 6, 3; ad fam. II, 15, 4.
c) cf. ad fam. II, 17, 1.
d) de Gruber, quaestio de tempore atque serie epistularum Ciceronis. Sundiae 1836. — V. ad ep. 268.
e) cf. ad Att. V, 21, 7.
f) cf. ad Att. V, 21, 4.
g) Nempe ante Iunium Taurus mons propter nives transiri non poterat; cf. ad. Att. V, 21, 14.

provinciam. Iterum dicit se fore Laodiceae usque ad idus Maias in ep. ad Att. VI, 1 § 24: »tu velim, dum ero Laodiceae, id est ad idus Maias, quam saepissime e. q. s.« Quod tamen consilium suum non est secutus: nam iurisdictio confecta erat kalendis Maiis[a]; quam ob rem et in ep. ad fam. II, 13 § 3 dicit: »mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram .. proficisci in Ciliciam nonis Maiis«, et in ep. ad Att. VI, 2 § 6: »nonis Maiis in Ciliciam cogitabam«[b]. Reliqua vero, quae constituerat, nondum mutavit; addit enim eodem loco: »ibi cum Iunium mensem consumpsissem . . . Quintilem in reditu ponere«.

Laodicea igitur profectus esse videtur nonis Maiis (= 7. Mai); certe Tarsum venit nonis Iuniis (= 5. Iun.)[c]. Fuit in castris a. d. X. kal. Quint. (= 21. Iun.), ut cognoscitur ex ep. ad fam. II, 19 § 1; quae castra ad fluvium Pyramum fuisse ex ep. ad fam. III, 11 § 1 concludere licet; neque enim quisquam dubitabit, quin utroque loco eadem castra significentur. Quo vero tempore ex his castris Tarsum redierit, non liquet; sed a. d. XVI. kal. Sext. (= 17. Qu.) Tarsi eum fuisse apparet ex ep. ad fam. II, 17 § 1. Videmus igitur Ciceronem aliqua ex parte mutasse consilium; voluerat enim Quintilem ponere in reditu per provinciam[d]; at tunc prior iam eius mensis pars praeterlapsa erat et etiamtum Cicero Tarsi commorabatur. Neque tamen abiecisse eum prorsus illud consilium Laodiceam redeundi, hac ipsa epistula (II, 17) ostenditur; cf. § 4: »eas (rationes) nos Apameae deponere cogitabamus . . . Laodiceae me praedes accepturum arbitror«. Idem apparet ex ep. ad Att. VI, 7 eodem fere tempore data, in cuius § 2 sic legitur: »ego Laodiceae quaestorem Mescinium exspectare iussi, ut confectas rationes lege Iulia apud duas civitates possem relinquere«.

Iam quaeritur, num re vera per provinciam redierit. Id vix est credibile, siquidem a. d. III. non. Sext. (= 3. Sext.) navi ad Sidam accessit, id quod legimus in ep. ad fam. III, 12 § 4. Respicias enim temporis rationem: initio huius

---

a) cf. ad Att. VI, 2, 4: ». . hoc foro, quod egi ex idibus Febr. Laodiceae ad kal. Maias omnium dioecesium praeter Ciliciae . . .«

b) Quod in ep. mense Martio vel Aprili ad Thermum data (XIII, 57, 1) scribit: »ego in Ciliciam proficisci cogito circ. k. Maias«, facile apparet cur tam mature se profecturum esse dicat: maxime enim eius intererat, M. Anneium, legatum suum, virum rei militaris peritissimum, secum in Ciliciam ad exercitum proficisci — bellum autem Parthicum impendebat — quare a Thermo petit, ut quam primum eum remittat.

c) cf. ad Att. VI, 4, 1.

d) cf. praeter locos supra allatos ep. ad fam. III, 11 mense Iunio datae § 3: »fiet a me, cum per Asiam decedam«.

anni (704) nonis Ian. Tarso profectus Laodiceam pervenit III. id. Febr., dies igitur in hoc itinere consumpsit 36; postea Laodicea nonis Maiis profectus post iter 30 dierum Tarsum venit non. Iun.; num igitur putas Ciceronem eo, de quo nunc agimus tempore 18 diebus non solum idem illud iter Laodiceam usque confecisse, sed etiam ultra processisse Ephesum, inde nave conscensa ad Sidam, quae urbs est Pamphyliae, accessisse? Nullo modo concedi potest; atque etiamsi possit, quid tandem Ciceronem commovere potuit, ut postquam de provincia decessit, paene in ultimam eius partem reverteretur? Tenendum igitur est, Ciceronem non in reditu posuisse Quintilem, sed usque ad finem annui muneris Tarsi mansisse, ibidem C. Coelio Caldo provinciam tradidisse, indeque navi ad Sidam accessisse. Sed nonne fieri potest, ut post a. d. III. non. Sext. a Sida urbe per provinciam Laodiceam usque redierit? Profecto potest; atque Grubero quidem ita visum est, quippe qui concludat suam itineris descriptionem his verbis: »hinc (Sida) Laodiceam rediit, ut ab Epheso Athenas traiceret«. Sed quominus ita statuamus, gravissimis causis impedimur. Duobus locis Cicero dicit, se puerorum causa Rhodum insulam velle invisere; cf. ep. ad fam. II, 17 § 1 et ad Att. VI, 7 § 2; quamquam priore loco addit: »neque id tamen certum.« Sed sine dubio Rhodum accessit, etsi de hac re nihil in epistulis exstat; nam legimus in libro de claris oratoribus[a]: »Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem e. q. s.« Verisimile igitur est Ciceronem, cum Tarso navi profectus esset, Rhodum insulam petisse; sed quoniam, ut tum erat navigationis status, non uno cursu ad illam insulam pervenire poterat, ad Sidam accessit indeque profectus Rhodum perrexit. Post complurium dierum commorationem inde Ephesum eum navigasse statuemus; hinc se, diu etesiis retentum, Athenas traiecisse ipse dicit in ep. ad Att. VI, 8 § 4. Multo certe hoc verisimilius, quam Sida eum pedibus iter per provinciam fecisse Laodiceam usque, inde Ephesum progressum esse, Epheso Rhodum traiecisse, inde Ephesum revertisse, deinde profectum esse Athenas. — Quodsi necessario statuendum est, eum Laodiceae fuisse, priusquam in Graeciam se contulerit — nempe Mescinium quaestorem iusserat Laodiceae se exspectare, ut rationes posset relinquere — potius credemus eum Epheso Laodiceam venisse, quod iter est paucorum dierum. Sed quid, si ego possum demonstrare, non ipsum Ciceronem cum Mescinio rationes contulisse? Quod nullo negotio possum: nam dicit ipse Cicero in ep. ad Mescinium anno 705 data[b]:

a) cf. Cic. Brut. I, 1; vide etiam Plut. Cic. 36.
b) cf. ad fam. V, 20, 2.

»quod igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina maneret, id quoniam lege Iulia relinquere rationes in provincia necesse erat, easdemque totidem verbis referre ad aerarium, feci in provincia, neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem, sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse numquam me paenitebit; totum enim scribam meum, quem tibi video nunc esse suspectum, tibi tradidi; tu ei M. Mindium fratrem tuum adiunxisti; rationes confectae me absente sunt tecum, ad quas ego nihil adhibui praeter lectionem: ita accepi librum a meo scriba, ut eundem acceperim a fratre tuo.« — Apparet igitur, Ciceronem non venisse Laodiceam; quare recte se habet nostra itineris descriptio. Quod si ita est, nihil est cur putemus Ciceronem complures dies Sidae commoratum esse: accessit ad hoc oppidum, ut ibi pernoctaret, similiter ut in navigatione superioris anni, cum Athenis Ephesum traiceret, ad Zostera, ad Ceo, Gyarum, Syrum, Delum eadem de causa navem appulerat[a]. Fortasse igitur postero iam die, pr. non. Sext., Sida Rhodum navigare perrexit.

4) Ep. ad Ap. Claudium III, 12.

Est in § 4: »decedenti mihi et iam imperio annuo terminato ante d. III. non. Sext., cum ad Sidam navi accederem et mecum Q. Servilius[b] esset, litterae a meis sunt redditae. dixi statim Servilio — etenim videbatur esse commotus — ut omnia a me maiora exspectaret«. Ex universo huius epistulae argumento apparet litteras, quas hoc loco Cicero a suis se accepisse dicit, esse eas, quibus primum de factis Dolabellae et Tulliae sponsalibus Cicero certior est factus. Quod scribit »a meis«, ex eo concludendum esse videtur, eas litteras a Terentia et Tullia missas esse; ac profecto primum de hac re nuntium ab illis mitti par erat. Fuit autem Dolabella Appii accusator[c], qua de causa non iniuria Servilius audito nuntio commovebatur. Cumque ea res sine dubio Appio odiosissima esset, Ciceronis autem maxime interesset, ne nobilissimi viri gratiam benevolentiamque amitteret, iure hanc ad Appium epistulam excusationis plenam eodem etiam illo die (3. Sext.) conscriptam esse viri docti statuisse videri possunt. Neque id tamen prorsus certum est. Nam non modo novam affinitatem Cicero hac epistula excusat, verum etiam respondet ad Appii litteras, quibus ille eum de absolutione ambitus certiorem fecerat simulque paulo

---

a) cf. ad Att. V, 12, 1.

b) Servilius Appii in Asia negotia curasse videtur, saepiusque Ciceroni Appii litteras reddidit; cf. ad fam. III, 10, 2; 11, 1.

c) cf. ad Att. VI, 6, 1; ad fam. II, 13, 2 extr; VIII, 6, 1.

stomachosius sponsalia gratulatus erat; cf. § 1: »gratulor tibi prius — ita enim rerum ordo postulat — deinde ad me convertar«. § 2: »ego vero velim mihi Tulliaeque meae, sicut tu amicissime et suavissime optas, prospere evenire . . . neque enim tristius dicere quicquam debeo de ea re, quam tu ipse ominibus optimis prosequeris«. Apparet, Appii epistulam continuisse aliquem nuntium de Tulliae sponsalibus: nec tamen prius quam a. d. III. non. Sext. de ea re Cicero certior factus esse videtur, siquidem litterae a. d. III. non. Sext. a suis redditae fuerunt primae, quibus ille nuntius in Ciliciam perlatus est; quapropter verisimile videri possit, Appii gratulantis sponsalia epistulam postea demum allatam esse: quod si ita est, Ciceronis responsum a. d. III. non. Sext. datum esse nequit. Id quod etiam sequi videtur ex verbis (§ 4): »dixi statim Servilio«, cum facile subaudiatur: »et nunc tibi scribo«. Fieri igitur potest, ut haec ad Appium epistula paulo post a. d. III. non. Sext. Rhodo missa sit. Quamquam pro certo affirmari nequit, Appii epistulam post illum diem Ciceroni allatam esse: potuit enim Appius etiam ante facta sponsalia affinitatem gratulari aliquo tempore, cum ea res etiamtum Romae a Dolabella et mulieribus ageretur, sed ita ageretur, ut futura esse sponsalia appareret: quare utrum haec Ciceronis ad Appium epistula Sidae a. d. III. non. Sext. an paulo post Rhodi conscripta sit, non diiudicaverim.

Ep. ad Atticum VI, 6.

Legitur in eius ep. § 1: »Ego dum in provincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus accusatoris eius socer.« Nuntium igitur Cicero acceperat, Dolabellam sibi despondisse Tulliam, ipsius filiam. Qui nuntius Ciceroni allatus est a. d. III. non. Sext., cum ad Sidam navi accessisset, id quod apparet ex ep. ad fam. III, 12 § 4. Sequitur, ut aut ipso illo die haec ad Atticum ep. data sit, aut certe non multo post: nam primam eam esse earum, quas postea Cicero ad Atticum misit quam de provincia decessit, perspicue cognoscitur ex iis, quae in § 3 et 4 dicit de Coelio: »nos provinciae praefecimus Coelium: puerum, inquies e. q. s.« Vix igitur credemus, hanc ep. multo post traditam provinciam — tradenda autem erat a. d. III. kal. Sext. — datam esse. Sed cur Sidae a. d. III. non. Sext. epistulam scriptam esse minus libenter crediderim, causa haec est. Est in § 2 extr.: »de Hortensio te certo scio dolere, equidem excrucior: decreram enim cum eo valde familiariter vivere.« Quae verba quin ad nuntiatam Hortensii mortem spectent, equidem dubitare non possum. Nuntium vero de Hortensio mortuo non antea Cicero accepit quam Rhodum venit, id quod

ipse nobis tradidit (Brut. I, 1): ‚Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem et eo mihi de Q. Hortensii morte esset adlatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem'. Quibus verbis cur fides non habenda sit, equidem non video. Neque enim Tunstallio[a] assentiri possum quamvis ingeniose suspicanti, Ciceronem finxisse se Rhodi de Hortensii morte certiorem esse factum, quo pulcrius evaderet prooemium libri de oratoribus, cum et a clarissimo oratore et a nobilissima eloquentiae nutrice Rhodo initium caperet. Nam etsi illud recte se habet, Ciceronem non sine causa ab Hortensio exorsum esse, tamen consulto eum Rhodum hoc loco commemorasse, ne minimo quidem epitheto ad insulae oratoriam laudem spectante significatur. Accedit argumentum ex temporum ratione petitum. Scimus enim Hortensium paulo post mortuum esse quam Dolabella sibi Tulliam despondit, quoniam M. Caelius in ea epistula[b], qua gratulatur Ciceroni novam affinitatem, addit: ‚Q. Hortensius, cum has litteras scripsi, animam agebat'. Iam cum de factis sponsalibus Cicero a. d. III. non. Sext. demum Sidae certior factus sit, si recte supra statuimus eum brevissimo spatio interiecto Sida Rhodum perrexisse, nonne prorsus verisimile est, de morte Hortensii ei Rhodum allatum esse? Quod si ita est, sequitur ut haec ad Atticum ep. paulo post a. d. III. non. Sext. Rhodo data sit. Sed sunt, qui censeant Ciceronem in hac epistula non loqui de Hortensio mortuo, sed de Hortensio aegroto, ita ut, etsi de morte nuntius Rhodi demum Ciceroni allatus sit, haec tamen epistula antea data esse possit. Ad quod probandum ipsam illam Caelii epistulam afferunt, in cuius extrema parte exstat: ‚Hortensius . . . animam agebat'. Sic Schuetzius in editione epistularum secundum temporis ordinem dispositarum[c] ad verba Ciceronis supra allata (‚de Hortensio te certo scio dolere e. q. s.') haec adnotat: ‚de Hortensio] quem animam agere scripserat Caelius ep. 272'[d]. Concedamus paulisper fieri posse, ut Cicero in epistula ad Atticum data respiciat ad nuntium a Caelio acceptum: quaerendum igitur est, quando Ciceroni illa Caelii epistula reddita sit. Quodsi verum est — de quo iure quidem dubitari nequit — de morte Hortensii Ciceronem Rhodi demum certiorem esse factum, ne haec quidem epistula, quae nuntium de propinqua morte continet, Ciceroni multo ante allata esse potest quam Rhodum venit. Nam constat Hortensium perpaucos tantum dies aegrum fuisse; est enim in

a) Ep. ad Middlet. p. 56.
b) cf. ad fam. VIII, 13 extr.
c) III, 299.
d) cf. etiam Drumann VI, 181, 79.

Bruto: ‚idem quarto et sexagesimo anno, perpaucis ante mortem diebus, una tecum socerum tuum defendit Appium'[a]. Atque non ante a. d. III. non. Sext. Caelii epistulam Ciceroni redditam esse, facile demonstrari potest: erat enim in ea nuntius de factis Dolabellae et Tulliae sponsalibus; de iis autem Cicero a. d. III. non. Sext. Sidae demum certior factus est per litteras suorum, id quod cognoscitur ex ep. ad fam. III, 12 § 4; quodsi illo die a Terentia et Tullia tantum de ea re Cicero litteras accepit, Caelii epistula eundem nuntium continens postea demum Ciceroni allata est; ex quo sequitur, ne de propinqua quidem Hortensii morte Ciceronem tum quicquam legisse. Sed fac Caelii epistulam fuisse inter eas litteras, quas a. d. III. non. Sext. Sidae Cicero de sponsalibus ‚a suis' se accepisse dicit, quid inde? Nihil aliud nisi hoc: fieri posse, ut Cicero statim a. d. III. non. Sext. Sidae hanc ad Atticum epistulam conscripserit: fieri posse, inquam: nam erat Cicero in itinere, ad Sidam navi accessisse videtur ut ibi pernoctaret; quam ob rem multo est verisimilius, eum non ad Sidam, sed paucis diebus post, cum Rhodi constitisset, epistulam Attico scripsisse. Iam illud consideres, num facile cogitari possit, Ciceronem illo Caelii nuntio (‚animam agebat') commotum esse, ut Attico haec nuda verba scriberet: ‚de Hortensio te certo scio dolere, equidem excrucior: decreram enim cum eo valde familiariter vivere'. Nonne putas eum uno saltem verbo indicasse se nuntium de propinqua Hortensii morte accepisse? Equidem non dubito, quin futurum non fuerit ut Cicero haec verba scriberet, nisi accurate de Hortensii morte edoctus esset existimassetque Atticum quoque de ea re certiorem esse factum. Quin, si consideramus Ciceronem ea epistulae parte, quae proxime haec verba antecedit, aperte respondere ad Attici aliquam epistulam, iure fortasse statui potest, etiam de Hortensii morte in illa Attici epistula scriptum fuisse: sic enim optime intellegitur, cur tam paucis verbis atque quasi praeteriens Cicero hanc rem attigerit. Quibus omnibus in unum collectis adducor, ut paulo confidentius hanc ad Att. epistulam Rhodo datam esse statuam.

Ep. ad M. Caelium II, 15.

Hanc quoque epistulam Cicero postea dedit quam de provincia decessit; cf. § 4: ‚ego de provincia decedens quaestorem Coelium praeposui provinciae'. Respondet autem ad Caelii epistulam VIII, 13, qua ille sponsalia gratulatus erat. Eam ante a. d. III. non. Sext. Ciceroni allatam esse non posse supra

a) Cic. Brut. 94, 324; cf. etiam 64, 230.

demonstravimus; num vero fuerit inter eas epistulas quas illo die Cicero de sponsalibus accepit, nec affirmari nec negari potest. Quare utrum Ciceronis responsum a. d. III. non. Sext. Sidae an paulo post Rhodi conscriptum sit, diiudicari nequit. Quorum tamen posterius mihi verisimilius esse videtur; nam si ea recte se habent, quae supra de Ciceronis itinere exposui, vix credemus ad Sidam Ciceronem plures epistulas composuisse.

5) Ep. ad Appium III, 13.

Hac epistula Cicero gratias agit Appio propter operam in decernendis supplicationibus enixe navatam. De decreta autem supplicatione Cicero antea est certior factus quam de factis Tulliae cum Dolabella sponsalibus; nam in ep. ad Att. VI, 7 ante exeuntem Quintilem data scribit: ‚Rhodum volo puerorum causa, inde quam primum Athenas, etsi etesiae valde reflant; sed volo his magistratibus, quorum voluntatem in supplicatione sum expertus'. Facile igitur concludere aliquis possit hanc ep. (III, 13) ante III, 12 esse datam; atque Hofmannus quidem id probare studuit[a]), neque tamen mihi persuasit. Legitur enim in ep. III, 13 § 2: ‚vellem ita fortuna tulisset, ut quanti ego omnes tuos, tanti tu meos facere posses; quod tamen ipsum, nescio qua permotus animi divinatione, non despero. sed hoc nihil ad te, nostrum est onus. illud velim sic habeas, quod intelleges, hac re novata additum potius aliquid ad meum erga te studium, quo nihil videbatur addi posse, quam quicquam esse detractum'. Nonne apparet haec ad Dolabellam et ad facta sponsalia pertinere? Nam quod Hofmannus putat, esse hoc loco sermonem de Tullia, de Terentia iisque Ciceronis familiaribus, qui vellent Tulliam Dolabellae collocare, spectare illa verba non ad facta sponsalia, sed ad iniquos sermones de consilio mulierum iam antea sparsos, id nullo modo credere possum. Quaenam est ea res novata, qua adeo nihil detractum de suo erga Appium studio esse Cicero scribit, ut potius additum aliquid ad amorem esse videatur? Nempe sponsalia, de quibus in ep. III, 12 isdem fere verbis scripserat: ‚sic habeto tamen, nisi iam tunc omnia negotia cum summa tua dignitate diligentissime confecissem, tametsi nihil videbatur ad meum erga te pristinum studium addi posse, tamen hac mihi adfinitate nuntiata non maiore equidem studio, sed acrius, apertius, significantius dignitatem tuam defendissem ... adfinitas nova curam mihi adfert cavendi, ne quid de summo meo erga te amore detractum esse videatur'. Apparet illa verba aliter explicari

a) Frid. Hofmanni de origine belli civilis Caesariani comm. Berol. 1857 p. 84, 85.

non posse; apparet etiam, epistulam III, 13 post III, 12 esse scriptam: neque enim tam leviter et quasi praeteriens Cicero hanc rem, quae iure Appio odiosissima erat, commemoravisset, nisi iam antea (epistula III, 12, quae tota fere in excusatione versatur) eam causam plurimo sudore ac labore defendere studuisset. Accedit alterum argumentum: nihil in ep. III, 13 de iudicio ambitus legitur[a]; atqui, si ea epistula ante III, 12, i. e. ante acceptum de absolutione nuntium, scripta esset, urbanitatis erat quaerere, quemnam exitum illud iudicium habuisset, vel potius affirmare, sine dubio tam bonum et nobilem civem omnium iudiciis absolutum esse. Certe Cicero eam rem, in epistula praesertim ad Appium, non omisisset. Sed data est post III, 12: antea absolutionem gratulatus Cicero erat, iure igitur tum tacet. Quid vero causae fuerit, cur tam tarde Cicero Appio gratias egerit, etsi incertum est, tamen coniectura assequi licet. Exspectavit sine dubio Cicero post allatum de decreta supplicatione nuntium, dum quid certius de exitu iudicii afferretur, ut simul et gratulari Appio et gratias agere posset. Sed subito satis inopportune de factis sponsalibus certior fit: iam nihil antiquius habet, quam ut cum gratulatione verbosam novae affinitatis excusationem struat; gratias propterea singulari epistula agit, ut apertius et significantius Appio ostentet, quanti eum faciat· quamque non recte ille suum amorem suspectum habeat. Quin si verum est, quod ipse Cicero in ep. III, 13 § 1 dicit: ‚quis enim ad me non perscripsit, te non solum auctoritate orationis, sententia tua ... sed etiam opera, consilio, domum veniendo, conveniendis meis nullum onus officii cuiquam reliquum fecisse?' apparet eum multis demum de Appii insigni opera epistulis acceptis, non primo statim allato nuntio has litteras misisse. Fieri etiam potuit, ut de Appii officio paulo tardius certior fieret; in epistula quidem a Caelio de decretis supplicationibus missa (VIII, 11) nulla Appii mentio fit; ac ne ad hanc quidem epistulam Cicero ante ineuntem Sextilem rescripsit (est enim ep. ad Caelium II, 15, de qua supra egimus, rescripta ad Caelii epistulas VIII, 11 et VIII, 13). Sed utut res se habet, certe haec gratiarum actio Appio post ep. III, 12 missa est. Neque tamen cum Baitero et Wesenbergio editoribus ad mensem Septembrem eam retulerim; tam tarde Ciceronem cuiquam de ea re epistulam misisse persuadere mihi non possum: Schuetzium potius et Gruberum secutus perbrevi

---

a) Mense Iunio iam Cicero cognoverat Appium ambitus reum esse factum; cf. ad fam. III, 11 § 1 et 2.

tempore post ep. III, 12, mense etiam Sextili (ineunte), has litteras datas esse puto[a]).

6) Quo die Cicero Rhodo profectus sit, ut Ephesum traiceret, ne coniectura quidem assequi licet. Nulla exstat epistula, quae post illas, quas supra circa ineuntem Sextilem datas esse demonstravimus, a Cicerone aut Sextili aut Septembri missa sit: proxima kal. demum Octobr. conscripta est, ep. ad Att. VI, 8, quam Cicero dedit Epheso conscendens. Ex ea intellegitur, pr. kal. Oct. eum ‚domi Ephesi' Attici aliquam epistulam accepisse; quot vero dies tunc Ephesi iam sit commoratus, obscurum est. Legitur autem in eius ep. § 4: ‚nos etesiae vehementissime tardarunt; detraxit XX ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum.' Quae verba Drumannus[b]) sic interpretatus est: »Auf der Fahrt von Rhodus nach Ephesus verlor Cicero zwanzig Tage, weil der Wind ihn nicht begünstigte und er bei der schlechten Bauart der rhodischen Schiffe ohne Verdeck und der übrigen oft anlegte«[c]). Vereor ne haec explicatio minus recte se habeat; nam etesiae sub caniculae ortum exoriri solebant, id est circiter medium Quintilem anni Caesariani. Respondent autem, si Idelerum sequimur[d]), idus Quintiles anni Juliani ei diei anni u. c. 704, qui notatur a. d. IV. kal. Sept. Sub exitum igitur mensis Sextilis et per Septembrem anni 704 etesiae flavisse videntur; per totum autem Sextilem Ciceronem Rhodi mansisse, deinde mensem Septembrem in itinere Rhodo Ephesum consumpsisse vix est verisimile, praesertim cum ipse Cicero in ep. ad fam. II, 17 § 1 scribat: ‚commoraturum me nusquam sane arbitror'. Rectius fortasse Schuetzius[e]) verba illa de aphracto Rhodiorum vult intellegi ‚de mora huius navigii, quod vel tardius accesserat, vel reficiendum erat', ita ut Ephesi Ciceronem et etesiae retinuerint et aphractus Rhodiorum tardarit.

---

a) Est in fine huius epistulae: ‚cum haec scribebam, censorem iam te esse sperabam'. In ep. III, 12 nihil de Appii munere censorio legitur, quodcontra epistulis III, 10 et 11 clausulae similes adiectae sunt. Sed nihil inde de serie epistularum concludi potest. Prorsus falsum est putare Ciceronem, cum ep. III, 12 scriberet, iam certiorem esse factum de Appii creatione: quod si ita esset, sine dubio Cicero gratulatus esset aut certe praescripsisset epistulae: M. Cic. App. Pulchro Censori S; cf. praescriptionem ep. III, 11. Ceterum vide, quae infra (ad 8) de hac re exposita sunt.

b) VI, 181.

c) Respexit sine dubio Drumannus ep. ad Att. V, 12 § 1; 13 § 1, ubi de imbecillitate aphractorum Rhodiorum est sermo.

d) Ideler, Handbuch der math. u. techn. Chron. II, 116.

e) III, 314.

Quod si ita est, per magnam certe Septembris partem Cicero Ephesi commoratus est.

7) Non alienum esse videtur de Attici itinere Epirotico paulo accuratius disserere. Mense Maio a. u. c. 703, cum Cicero ab urbe proficisceretur, ut in provinciam se conferret, Atticus Romae fuit, id quod apparet ex ep. ad Att. V, 1 § 2. Sed cogitasse eum illo iam tempore de relinquenda urbe nec Ciceronem id ignorasse, ex eiusdem ep. § 5 cognoscitur[a]. Idibus Maiis Cicero ab Attico quaerit, quam diu Romae futurus sit[b], ne frustra litteras Romam mittat. Deinde mense Maio et Iunio saepius se suspicari scribit illum iam esse profectum[c], quin epistulae V, 9 et 10 ita conscriptae sunt, quasi dubium non esset Atticum abesse ab urbe. In quo errasse Ciceronem apparet ex ep. V, 11 ineunte Quintili data, in cuius § 1 se comperisse significat Atticum etiam Romae commorari[d]. Mense demum Sextili iterum Cicero dubitat, utrum profectus Atticus sit necne[e]. Atque usque ad ineuntem Sextilem certe is Romae fuit; erat enim in aliqua eius epistula, quae a. d. XIIII. k. Sext. data erat atque Ciceroni reddita est mense Septembri[f], circ. kal. Sext. eum in Epirum iturum esse. A. d. III. non. Sext. nondum profectus erat: accepit enim Cicero a. d. XI. kal. Oct. Attici quandam epistulam »septimo quadragesimo die R o m a celeriter«; data igitur erat a. d. III. non. Sext.: sed in ea epistula de itinere Epirotico eiusmodi verbis scriptum erat, ut Cicero concludere posset eum consilium suum iam perfecisse[g]. Tamen Atticus impeditus esse videtur, quominus ineunte Sextili proficisceretur. Nam quam Attici epistulam Cicero a. d. V. kal. Ian.[h] accepisse se dicit, ea ineunte demum Octobri data esse potest, id quod facile est demonstrare: primum enim post a. d. X. kal. Oct. eam datam esse apparet inde, quod in ea Atticus quaesiverat, num Cicero accepisset litteras suas Laenii pueris traditas[i], quas litteras a. d. X. kal. Oct. conscriptas esse cognoscitur ex ep. V, 21 § 4. Deinde quae in ea inerant iucunda de Caesare deque senatus decretis[i], ea pertinent ad senati-

---

a) cf. etiam V, 4, 1 et 3.
b) cf. V, 5, 2.
c) cf. V, 6, 2; 7, 1; 8, 2 et 3.
d) cf. etiam V, 12, 3; 13, 3.
e) cf. V, 17, 1.
f) cf. V, 18, 1.
g) cf. V, 19 § 1.
h) cf. V, 20 § 8. Ceterum legendum est XV. kal. Ian.; sed ad nostram quaestionem nihil id refert.
i) cf. V, 20 § 8.

consulta pr. kal. Oct. facta, de quibus etiam Caelius Roma miserat ep. VIII, 8. Apparet igitur mense demum Octobri hanc de rebus urbanis Attici epistulam datam esse posse: nec tamen ex Epiro missa erat, quoniam accepta ea Cicero scribit[a]: ‚tuas etiam Epiroticas litteras exspecto'. Sequitur, ut ineunte Octobri Atticus aut etiamtum in urbe commoratus sit aut in itinere fuerit: certe in Epirum tum non pervenerat. Videtur autem eo venisse mense Novembri aut Decembri, quoniam idibus demum Februariis a. u. c. 704 Cicero scribit[b]: ‚te in Epirum salvum venisse . . . gaudeo'. Habebat autem illo tempore Cicero duas Attici epistulas, quarum alteram Atticus statim post adventum (‚nauseans Buthroto') dederat, altera paulo recentior erat, ut colligendum est ex ep. V, 21 § 3 extr. et 4. Recentiorem autem Cicero acceperat Iconii, cum in itinere esset Tarso Laodiceam. Quod iter ingressus erat nonis Januariis, confecerat a. d. III. id. Febr.[c]; atque quoniam Iconium in medio fere itinere situm est, exeunte Januario recentior Attici epistula ei tradita esse videtur. Cumque de ea Cicero dicat: ‚acceperam autem satis celeriter', apparet mense Decembri eam datam esse; nam minus certe duobus mensibus perlata est, quoniam ne Romanae quidem epistulae plus duos menses in itinere esse solent. Quod si ita est, illa Attici epistula, quae Buthroto data erat, aut ipsa quoque ad Decembrem (ineuntem) aut ad Novembrem referenda est. — Quando vero ex Epiro rursus profectus sit, accurate constitui nequit. Nam quod Cicero mense Junio et Quintili suspicatus est, eum iam Romam redisse[d], id falsum fuit. Immo ex Epiro Atticus non statim in Italiam revertit, sed Athenas se contulit, mense Junio ut videtur; scribit enim Cicero ineunte Sextili[e]: ‚sed heus tu πυρούς εἰς δῆμον Athenis?' Certe Atticus per Sextilem et Septembrem in itinere fuit: ultimo mensis Septembris die Cicero accepit ab eo epistulam, qua nuntiatum erat[f] eum feliciter navigasse, quae epistula Brundisio data esse videtur[g]; atque pr. id. Oct. Cicero cognovit[h] Atticum a. d. XII. kal. Oct. (= 19. Sept.) Romam venisse.

8) Epp. ad fam. VIII, 12 et 14.

Epistulam VIII, 12 iure viri docti mense Septembri datam

---

a) cf. V, 20, 9.
b) cf. V, 21, 1.
c) cf. V, 21, 4 et 7.
d) cf. VI, 3, 3; 4, 2; 5, 1.
e) cf. VI, 6, 2; cf. etiam VII, 1 extr.
f) cf. VI, 8, 1.
g) cf. VII, 1, 1.
h) cf. VI, 9, 1.

esse putant, idque Langio[a]) quoque probatur. Nam legitur in eius ep. § 3: ‚insolentissimi homines summis Circensibus ludis meis postulandum me lege Scantinia curant. vix hoc erat Pola elocutus, cum ego Appium censorem eadem lege postulavi. quod melius caderet nihil vidi; nam sic est a populo et non infimo quoque adprobatum, ut maiorem Appio dolorem fama quam postulatio attulerit. praeterea coepi sacellum, in domo quod est, ab eo petere'. Quos hoc loco Caelius commemorat summos suos Circenses ludos, sunt ii ludi Romani, qui Caelio aedili curuli curandi erant; qui quoniam a pr. non. Sept. usque ad a. d. XII. k. Oct. (= 4.—19. Sept.) celebrari solent, necesse est hanc epistulam aut intra idem illud temporis spatium aut paulo post datam esse. Nam de his rebus eodem fere tempore, quo factae sunt, Caelium certiorem fecisse Ciceronem, inde apparet quod dicit: ‚praeterea coepi ... ab eo petere'. Dubitari igitur nequit, quin haec ep. ad mensem Septembrem sit referenda.

Epistulam VIII, 14 vero post VIII, 12 datam esse, praeter Langium omnes viri docti ex utriusque epistulae argumento concluserunt. Neque quod ita iudicaverunt, propter coniecturam tantum factum est, quam editores in textum receperunt. Quamquam quin verissima sit illa coniectura nemo dubitabit. Praebet enim in extr. ep. VIII, 12 codex Mediceus: ‚scis Domitio diem tumorae est exspecto valde et quam primum videre cupio'. Quod Victorius sic correxit: ‚scis Domitio diem timori esse. te exspecto valde et quam primum videre cupio'. Nunc in editionibus ex Weiskii coniectura legitur: ‚scis Domitio (comitiorum) diem timori esse. te exspecto e. q. s.'; quae verba si recte se habent, docent eo tempore quo ep. VIII, 12 scripta est, i. e. mense Septembri, comitia auguri creando nondum habita esse. Nam in locum Hortensii mortui auguratum petiverunt et L. Domitius Ahenobardus et M. Antonius, quorum alter ab optimatibus, alter a Caesare adiuvabatur. Atque quoniam in ep. VIII, 14 § 1 legitur, Domitium repulsam tulisse, Antonium creatum esse, prorsus verisimile est et illam coniecturam recte se habere, et epistulam VIII, 12 paulo ante comitia, ep. VIII, 14 paulo post esse datam. Sed, — confiteor — si ex sola illa coniectura efficeretur, ut ep. VIII, 14 post VIII, 12 esset ponenda, iure aliquis aliis argumentis commotus aliter statuere posset. At accedit alterum gravissimum argumentum. Scribit enim Caelius in ep. VIII, 12 se, cum summis Circensibus ludis Appii opera lege Scantinia (de nefanda Venere) accusatus esset, statim illum eadem lege postulasse. Ad quem nuntium aperte Caelius in

a) L. Lange, Röm. Alterthümer, III. Bd. 2. Aufl. Berl. 1876 p. 402, 7.

ep. VIII, 14 respicit, cum dicit: ‚prope oblitus sum quod maxime fuit scribendum: scis Appium censorem hic ostenta facere: de signis et tabulis, de agri modo, de aere alieno acerrime agere? persuasum est ei, censuram lomentum aut nitrum esse: errare mihi videtur; nam dum sordis eluere vult, venas sibi omnis et viscera aperit. curre per deos atque homines! et quam primum haec risum veni, legis Scantiniae iudicium apud Drusum fieri, Appium de tabulis et signis agere; crede mihi, est properandum!' Quid igitur? Nonne aperte haec verba docent, epistulam VIII, 14 post ludos Circenses, post ep. VIII, 12 missam esse? Quonam modo Cicero intellegere potuit, quae oppositio intercederet inter legis Scantiniae iudicium et severas illas Appii censoris actiones, nisi antea de eo iudicio certior erat factus? Per oppositionem autem Caelium ea verba coniunxisse, ut significaret Appium etsi ipsum foedissimae rei accusatum tamen quam acerrime se gerere in censura, quis est qui neget?

Apparet igitur, iniuriá Langium existimare epistulam VIII, 14 ante VIII, 12 esse datam; atque ne ad mensem Junium vel ineuntem Quintilem eam referamus, quod vult Langius[a], aliis quoque causis impedimur.

Nam illo tempore Appium nondum censoris munere functum esse demonstrare mihi videor posse. Quamquam Langius quidem[b] iam ineunte Maio censores (Appium et Pisonem) creatos esse putat, commotus iis, quae in epp. ad fam. III, 10 et 11 de ea re leguntur. Scribit enim Cicero ineunte mense Maio (III, 10 § 3): ‚si vero effeceris, ut censores creentur ... (§ 11): ‚te enim ut spero propediem censorem audiemus'. Cognoverat igitur Cicero, velle Appium censuram petere; sed quod putabat brevi se de creatione certiorem factum iri, errabat. Nam epistulae III, 11 praescribit: ‚Appio Pulchro, ut spero, censori s.' atque similiter in extr. ep. legitur: ‚vale et in censura — si iam es censor ut spero — de proavo multum cogitato tuo'. Ex quo apparet, usque ad exeuntem Junium (nam exeunte fere Junio ep. III, 11 data est) nihil certi Ciceroni de ea re allatum fuisse. Inde vero, quod Cicero urbanitatis, ne dicam adulationis[c] causa sibi cordi esse Appii dignitatem his epistulis ostentat, de tempore creationis nihil concludi debet. Sperabat

a) l. l. p. 396, 5.
b) l. l. p. 397, 8.
c) Quantopere Ciceronis interfuerit cavere, ne Appii, hominis nobilissimi eiusdemque amici Bruti Pompeique, a se alienaret voluntatem satis constat. De ep. ad Appium III, 10 ipse Cicero Caelio scribit (ad fam. II, 15, 2): ‚quid si meam legas, quam ego tum ex tuis litteris misi ad Appium? sed quid agas? sic vivitur!'.

certe mense Junio Appium iam esse censorem, sed sperabat tantum, ut cognoscitur ex iis epistulis quas postea misit. Nam ineunte Sextili, cum Appio gratularetur absolutionem ambitus (III, 12), nihil de munere censorio addidit, ut facile conicere possis, certiorem eum esse factum aut comitia dilata esse aut falsum fuisse quod antea putarat tam mature ea habitum iri. Quod eo est veri similius, quia in ep. III, 13, quae post III, 12 missa est, denuo, etsi paulo tum confidentius, clausulam adicit: ‚cum haec scribebam, censorem iam te esse sperabam'. Apparet enim ex his verbis certe non multo ante datam hanc epistulam secundum Ciceronis opinionem Appium censorem factum esse posse. Quamobrem iure mihi videtur de Boor[a]) statuisse mense demum Sextili censores anni u. c. 704 creatos esse[b]).

Nissenus[c]) aliud etiam respiciendum esse censet. Superiore enim anno de stipendio Pompei relatum est a. d. XI. kal. Sext. (= 22. Quint; cf. ad fam. VIII, 4 § 4); de eadem re hoc quoque anno in senatu actum est, sed extracta res esse videtur Curionis intercessione, quam remisisse eum legimus in huius ep. (VIII, 14) § 4: ‚Curio noster sapienter id, quod remisit de stipendio Pompei, fecisse existimatur'. Ne hoc quidem Langii opinioni favere videtur.

Sed gravissimum hoc est, quod idem Nissenus[c]) monuit. Scripsit Caelius in hac ep. Appium censorem acerrime de sumptu tabularum et signorum coercendo agere coepisse (‚prope oblitus sum quod maxime fuit scribendum: scis Appium censorem e. q. s.'). Quod Cicero ne sibi quoque molestum esse posset, veritus esse videtur; nam in ep. ad Att. VI, 9 § 5 satis aperte eo nuntio se commotum esse significat: ‚tu mihi . . . perscribes . . de censoribus, maximeque de signis, tabulis, quid fiat, referaturne'. Dubitari igitur nequit, quin statim post acceptam Caelii epistulam de ea re Cicero Atticum percontatus sit; eamque epistula ad Att. VI, 9 idibus Octobribus data sit Athenis, Caelii litteras ad mensem Septembrem referendas esse prorsus est verisimile.

Quin accurate iam, quo die Roma missae sint, demonstrare me posse puto. Scimus enim ex ep. ad fam. XIV, 5 Ciceroni, cum pr. id. Oct. Athenas venisset, multas amicorum epistulas esse traditas; cf. § 1: ‚Pr. id. Oct. Athenas venimus . . . de nave exeuntibus nobis Acastus cum litteris praesto fuit uno et vicesimo die, sane strenue . . cognovi enim ex multorum

---

a) In libello cui inscripsit ‚Fasti censorii' p. 94.
b) Ei Mommsenus assentitur Röm. Staatsr. II, 1 (1874) p. 325, 2.
c) cf. Sybel, Histor. Zeitschr. Bd. 46 p. 69, 2.

amicorum litteris, quas attulit Acastus, ad arma rem spectare'. Quae extrema verba optime quadrant in Caelii epistulam (VIII, 14), in cuius § 2 legitur: ‚de summa re publica saepe tibi scripsi me annuam pacem non videre, et quo propius ea contentio, quam fieri necesse est, accedit, eo clarius id periculum apparet . . . sic illi amores et invidiosa coniunctio non ad occultam recidit obtrectationem, sed ad bellum se erupit.' Quo magis mihi est persuasum fuisse Caelii epistulam inter eas, quas pr. id. Oct. Acastus attulit amicorum litteras. Atque quoniam Acastus ante 21 dies Roma profectus erat, sequitur ut dies missarum Caelii litterarum sit a. d. VIII. kal. Oct. (= 23. Sept.), quippe quo die tabellarius iter ingressus sit. Optime igitur se habet, quod supra exposuimus, epistulam VIII, 14 post ludos Circenses datam esse; atque iam licet ipsam quoque epistulam VIII, 12 certis terminis circumscribere. Nam quoniam in ea ludorum Romanorum fit mentio, cum ante ep. VIII, 14 necesse sit eam scriptam esse, habemus terminos pr. non. Sept. et VIII. k. Oct. (= 4.—23. Sept.)[a]. Iam de epistula VIII, 14 me ita exposuisse spero, ut nemini dubium esse possit, quin mense Septembri data sit. Nam quod argumentum disertis verbis Langius affert ad suam fulciendam opinionem: »Cic. ad fam. VIII, 14: geschrieben nicht im September, zu welcher Zeit man einen Partherkrieg nicht mehr fürchtete, sondern im Juni oder Anfang Juli« — id certe non ita est comparatum, ut contra nostram argumentationem valeat. Spectat autem Langius ad extrema epistulae verba: ‚ad summam, quaeris, quid putem futurum: si alteruter ad Parthicum bellum non eat, video magnas impendere discordias (sc. inter Caesarem et Pompeium)'. Concedendum est ineunte Junio magnum in Syria bellum fuisse[b], quod imminere multo ante plurimis locis Cicero scripsit[c]; concedendum etiam est ante Sextilem ‚incredibili felicitate' hostem iam discessisse[d]; sed venerant Parthi hoc anno, ut superiore venerant, discesserant ut superiore anno[e]; quid vero eos impediebat quominus redirent? Minime finitum erat bellum Parthicum et Crassi mors etiamtum ulciscenda. Recte igitur

---

a) Quoniam circenses extremis tantum ludorum Romanorum diebus dabantur (ex a. d. XVI. ad a. d. XII. kal. Oct.), accuratius etiam ep. VIII, 12 compelli potest inter a. d. XVI. et VIII. kal. Oct. (= 15.—23. Sept.).

b) cf. ad Att. VI, 4, 1.

c) cf. ad Att. V, 21, 2; VI, 1, 14; 2, 6; 3, 2.

d) cf. ad Att. VI, 6, 3.

e) cf. ad Att. V, 18, 1; 20, 2 et 3; 21, 2.

Nissenus: »der Grund ist hinfällig, da ja Rom mit dem Partherreich auf Kriegsfuss lebte«. Neque Caelius de impendente Parthorum incursione loquitur: hoc tantum dicit, nisi aut Caesar aut Pompeius iuberetur proficisci ad bellum cum Parthis gerendum, fieri non posse ut bellum civile evitaretur. — Ceterum ad iustum rerum ordinem et apud Drumannum et apud Langium perturbandum plurimum contulerunt ea, quae in Caes. bell. gall. VIII, 50 Hirtius de itinere Caesaris tradidit, ut recte monet Nissenus[a], quod tamen accuratius exponere non est huius loci.

9) Est in ep. ad Att. VI, 9 extr.: ‚idibus Octobribus has dedi litteras, quo die ut scribis Caesar Placentiam legiones IV. quaeso quid nobis futurum est?' Attici epistula, qua hoc nuntiatum est, allata Ciceroni est pr. id. Oct., cum exisset in Piraeea, cf. § 1. Acastum autem, qui eam attulit, Roma profectum esse a. d. VIII. k. Oct. (= 23. Sept.) apparet ex ep. ad Terentiam XIV, 5, ubi Cicero scribit Acastum 21 diebus iter confecisse. Attici igitur epistula ab Acasto allata conscripta est Romae inter a. d. XII. et VIII. k. Oct. (19.—23. Sept.); nam Atticum a. d. XII. k. Oct. Romam venisse supra docuimus. Apparet igitur exeunte Novembri Romae illum rumorem valuisse. Causa autem illius rumoris ea fuisse videtur, quod Caesar illo tempore ex ulteriore Gallia in citeriorem profectus erat; cf. Hirt. b. g. VIII, 50.

10) cf. ep. ad Att. VI, 8 § 4.

11) De Bibuli munere provinciali haec fere ex Ciceronis epistulis cognosci possunt. Decreta est Bibulo Syria provincia eodem ut videtur senatus consulto eademque lege, qua Ciceroni Cilicia, id est ineunte anno 703 Ser. Sulpicio M. Marcello consulibus[b]. Tardius autem Bibulus quam Cicero iter fecit: quod propterea eum facere dicebant, quod tardius vellet decedere[c]. Exeunte Septembri nondum audiebatur esse in Syria[d], quamquam circ. idus Sext. ab Epheso in Syriam navi profectus erat[e]. Quo vero tempore Bibulus Antiocheam venerit provinciamque acceperit, probabili coniectura assequi licet. Praeerat enim ante Bibulum Syriae C. Cassius, quaestor

---

a) l. l. p. 67, 4.
b) cf. ad fam. III, 3, 1; ad Att. V, 4, 2.
c) cf. ad Att. V, 16 extr.
d) ad Att. V, 18, 1; fam. XV, 1, 1.
e) ad fam. XV, 3, 2.

qui fuerat Crassi. Is paucis diebus ante[a] Bibuli adventum Parthos fugavit, id quod inde apparet, quod eodem tempore Cicero et de Cassii victoria et de Bibuli adventu certior factus est[b]. Satis autem accurate definiri tempus illius victoriae potest; de quo eo magis quaerendum esse ducebam, quod et Drumannum et Langium minus recte de eo iudicasse video.

Turbatur haec quaestio eo, quod locus aliquis in Ciceronis quadam epistula molestissimo mendo corruptus est. Inde igitur est proficiscendum. Legitur in ep. ad Att. V, 21 § 2: ‚quo autem die Cassii litterae victrices in senatu recitatae sunt, id est nonis Octobribus, eodem meae tumultum nuntiantes'. Quae verba recte se habere nequeunt: nam neutra carum epistularum, de quibus hoc loco sermo est, tam celeriter Romam perferri potuit, ut non. Oct. in senatu recitaretur. Atque de Ciceronis quidem epistula hoc facile est demonstrare. Primam enim de Parthico periculo Cicero ad senatum dedit epistulam XV, 1, quoniam ipse in § 2 aperte declarat, se non prius voluisse senatum sollicitare, quam certos de Parthis nuntios accepisset[c]. Quam epistulam inter a. d. XIII. et XI. kal. Oct. (= 18.—20. Sept. 703) conscriptam esse hoc modo efficitur. Est in § 2: ‚a. d. XIII. kal. Oct. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniae et Cappadociae mihi litterae redditae sunt a Tarcondimoto ... (§ 3), et ob eam causam ... exercitum ad Taurum institui ducere'. In ep. ad Att. V, 18, quae a. d. XI. kal. Oct. data est[d], legitur (§ 1): ‚nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra (sc. sumus)': apparet igitur epistulam ad senatum XV, 1 post a. d. XIII. sed ante a. d. XI. k. Oct. compositam esse, id quod confirmatur etiam verbis epistulae ad Att. V, 18 § 1: ‚his de rebus scripsi ad senatum e. q. s.' Sequitur, ut ea Ciceronis epistula (XV, 1) senatui ante mensem Novembrem reddita esse non possit, si quidem ‚celeriter' profectus erat tabellarius ille, qui 47. die Roma epistulam in castra ad Cybistra pertulit[e]. — Deinde ut quo tempore Cassii litterae victrices sint datae statuere possimus, quaerendum est, quando ille Parthos vicerit. Cohaeret autem cum hac quaestione ordo rerum a Cicerone gestarum, quem propterea, quoad eius fieri potest, hac tabella proponam:

---

a) cf. ad Att. V, 21 § 2; Cic. Philipp. XI, 14, 35.
b) cf. ad fam. XV, 4, 7; II, 10, 2.
c) cf. etiam ad fam. XV, 3, 2; 9, 3.
d) Id quod apparet ex ep. V, 19 § 1, quae ep. postero die data est; cf. ad Att. VI, 1, 1.
e) ad Att. V, 19. 1.

Venit Cicero in castra ad Iconium posita (Att. V, 20, 2; fam. XV, 4, 3).	VII. k. Sept. = 24. Sext.
Ibi exercitum lustravit (Att. V, 20, 2).	III. » » = 28. »
Inde profectus est (fam. III, 6, 6) .	pr. » » = 29. »
Fuit cum exercitu in finibus Lycaoniae et Cappadociae (fam. XV, 1, 2) .	XIII. k. Oct. = 18. Sept.
Inde ad Taurum profectus castra ad Cybistra habuit aut 5 dies (Att. V, 20, 2; fam. XV, 4, 6) aut triduum (fam. XV, 2, 3; cf. etiam Att. VI, 2, 7); certe in iis castris fuit (Att. V, 18; V, 19)	XI. et X. k. Oct. = 20. 21. Sept.
Inde iter in Ciliciam fecit; Tarsum advenit (Att. V, 20, 3)	III. non. Oct. = 5. Oct.
Tarso Amanum versus profectus est (fam. III, 8, 10)	non. Oct. = 7. Oct.
Castra habuit in agro Mopsuhestiae (fam. III, 8, 10)	VIII. id. Oct. = 8. Oct.
Cum ad Amanum pervenisset, ut hostes necopinantes opprimeret, simulavit se ab eo monte recedere: iter unius diei profectus castra posuit ad Epiphaneam (fam. XV, 4, 8) .	IV. id. Oct. = 12. Oct.
Nocte reversus, oppressis hostibus imperator appellatus est (Att. V, 20, 3)	III. id. Oct. = 13. Oct.
Deinde aut 5 dies (Att. V, 20, 3) aut 4 dies (fam. XV, 4, 3) moratus est in castris apud Issum ad aras Alexandri	(14.—17. Oct.).
Inde profectus est ad Pindenissum oppugnandum (Att. V, 20, 4 et 5; fam. XV, 4, 10)	(18. Oct.).
Pindenissum oppugnavit 57 dies (Att. V, 20, 1; fam. XV, 4, 10); cepit ipsis Saturnalibus (V, 20, 1); ergo obsessa urbs est	21. Oct.—17. Dec.
Pindenisso capto Tarsum se recepit; Tarso profectus est (V, 21, 7) . .	non. Jan. = 5. Jan.
Laodiceam pervenit (Att. V, 21, 4) .	III. id. Febr. = 11. Febr.

Jam videamus ea quae de Cassii rebus apud Ciceronem leguntur. Ac primum quidem in ep. ad Att. V, 18 § 1 Cicero scribit: ‚Bibulus nondum audiebatur esse in Syria; Cassius in oppido Antiochiae cum omni exercitu; nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra; hostis in Cyrrhestica, quae Syriae pars proxima est provinciae meae'. Haec scripta sunt a. d. XI. k. Oct. (= 20. Sept.); eo igitur die Cicero nondum cognoverat Cassium circumsederi a Parthis (Antiochea autem a Cybistris minus 200 m. p. abest, ut quattuor vel quinque diebus tabellarius potuerit illud iter conficere[a]). Tamen circa hoc tempus Parthi ad Antiocheam accesserunt; nam paulo post a. d. XI. k. Oct. in ipsis etiam illis castris ad Cybistra Cicero de ea re certior factus esse videtur: in ep. enim ad Catonem XV, 4 postquam exposuit, se propter rationem belli quinque dies ad Cybistra moratum esse ibique regem Ariobarzanem insidiis liberasse, pergit in § 7: ‚interea cognovi multorum litteris atque nuntiis, magnas Parthorum copias et Arabum ad oppidum Antiocheam accessisse . . . quare cum viderem . . . Parthorum copias ... non longe a finibus esse Ciliciae, quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi.' Sine dubio de quibus hoc loco dicit nuntiis, iidem sunt atque ii, propter quos in ep. ad Att. V, 20 § 2 extr. scribit se a castris ad Cybistra in Ciliciam indeque ad Amanum esse profectum, quamquam hic de Cassio tacet; sunt enim verba: ‚cum dies quinque ad Cybistra castra habuissem, certior sum factus Parthos ab illo aditu Cappadociae longe abesse, Ciliciae magis imminere, itaque confestim iter in Ciliciam feci per Tauri pylas. Tarsum veni a. d. III. non. Oct. inde ad Amanum contendi.' Quam diu autem Parthi Antiocheam oppidum oppugnarint non constat; sed postquam frustra urbem capere conati sunt, cum ab ea se reciperent, Cassius insecutus eos fudit fugavitque. De qua re primum Cicero scribit in ep. ad Atticum post captum Pindenissum data (V, 20 § 3): ‚rumore adventus nostri et Cassio, qui Antiochea tenebatur, animus accessit et Parthis timor iniectus est: itaque eos cedentis ab oppido Cassius insecutus rem bene gessit'.

---

a) De celeritate tabellariorum cf. O. E. Schmidt, de epistulis et a Cassio et ad Cassium datis p. 5.

Interrumpit Cicero his verbis ordinem rerum a se gestarum: nam postquam expositionem rerum suarum usque ad a. d. XV. kal. Nov. (= 18. Oct.) perduxit (‚ibi' — sc. apud Issum — ‚quinque diès morati, direpto et vastato Amano, inde discessimus', v. tabellam), non statim addit ex illis castris se Pindenissum esse profectum, sed insertis demum illis de Cassio et nonnullis de Bibulo pergit: ‚nos ad Pindenissum' (§ 5). Tamen non post a. d. XV. kal. Nov., sed haud paulo ante eum diem Cassium Parthos vicisse apparet ex ep. ad fam. XV, 4 § 2, ubi dicit se ad Amanum cum venisset cognovisse Parthos ab Antiochea recessisse, Bibulum Antiocheae esse (Parthi autem ante Bibuli adventum victi sunt, ut supra demonstravi); ex tabella vero cognosci potest, Ciceronem inter a. d. VIII. et IV. id. Oct. (= 8.—12. Oct.) ad Amanum venisse. Vix igitur potest dubitari, quin in ep. ad Atticum data propterea non iusto omnia ordine narraverit, ut ipsius propinquiore vicinitate non nihil Attico commoti Parthi viderentur, ut ab Antiochea recederent. Quamquam non prorsus celat, antea victoriam illam reportatam esse; nam ea quae eodem loco, ubi de Cassii victoria sermo est, narrantur de Bibulo (‚venit interim Bibulus; . . . in eodem Amano coepit loreolam in mustaceo quaerere') ea aperte Attico quoque demonstrabant victoriam ad priora tempora referendam esse; neque enim potuit Bibulus, qui Cassio succedebat, prius ad Amanum venire, quam omne Parthorum periculum aversum esset. Est tertia etiam de his rebus epistula, ad Caelium data (fam. II, 10), ubi idem traditur atque in ep. ad Catonem XV, 4: ‚cum venissem ad Amanum... Cassius noster ... feliciter ab Antiochea hostem reiecerat, Bibulus provinciam acceperat'. Apparet igitur, inter idus Septembres (nam a. d. XI. k. Oct. = 20. Sept. Cicero nondum audiverat Antiocheam oppugnari) et a. d. IV. id. Oct. (= 13. Sept. — 12. Oct.) haec omnia facta esse: Cassium in oppido Antiochea interclusum a Parthis, hos post frustra temptatam oppugnationem ab eo oppido recessisse, insecutum eos Cassium bene rem gessisse, revertisse Antiocheam, Bibulo provinciam tradidisse, nuntium de his rebus ad Ciceronem in Amanum perlatum esse. Aut igitur ad exeuntem Septembrem aut ad ineuntem Octobrem victoria illa est referenda. Sequitur, ut nullo modo fieri possit, ut Cassii litteras victrices iam ‚nonis Octobribus' in senatu Romae recitatas esse credamus, quippe quas vix ante eum diem dare Cassius potuerit. — Jam quaeritur, quo modo loco mederi possimus. Atque Wesenbergius quidem scribendum esse coniecit: ‚quo autem die Cassii litterae victrices in senatu recitatae sunt, id est nonis Novembribus, eodem meae ...'; et confitendum est Ciceronis quidem epistulam inter XIII. et XI. k. Oct. datam

illo die fortasse iam Romae fuisse (sunt enim paene 50 dies); de Cassii vero litteris id vix ac ne vix quidem concedi potest. Ipse quondam putaveram fuisse in codice: ID EST ID. NO. (= id est idib. Novembr.), quod omisso altero ID lectum esset a librario quodam: ID EST N. O. (= id est non. Oct.); sed et haec et Wesenbergii coniectura refelluntur iis, quae leguntur in ep. ad fam. VIII, 10, quam Caelius Roma Ciceroni misit a. d. XIV. kal. Dec. (= 17. Nov.). Est in hac ep. sermo de iis Cassii litteris, quas statim postquam Parthi Euphratem transierunt ad senatum misit (cf. § 1: ‚sane quam litteris C. Cassii et Deiotari sumus commoti; nam Cassius cis Euphratem copias Parthorum esse scripsit, Deiotarus profectas per Commagenen in provinciam nostram.'); apparet igitur victrices Cassii litteras a. d. XIV. kal. Dec. nondum allatas fuisse; quin Ciceronis nulla etiamtum epistula venerat, ut aperte Caelius dicit in § 2: ‚a te litterae non venerunt . . . quare tibi suadeo, quicunque est istic status rerum, diligenter et caute perscribas e. q. s.' Ergo ne idibus quidem Novembr. victrices Cassii Ciceronisque litterae tumultum nuntiantes in senatu recitatae esse possunt. Aliam corrigendi viam Hofmannus ingressus est: dicit enim[a] expositis loci difficultatibus: »Man wird also wohl in der obigen Stelle datae non. Oct. setzen müssen statt id est nonis Octobribus«. Palmaris emendatio, quam paucis fulcire studebo. Cassii litteras victrices non. Oct. datas esse posse, et ex eis quae supra de tempore victoriae exposui apparet, et ipse Hofmannus docuit. Sed praeterea et demonstrandum erat potuisse Ciceronem Cassii datarum litterarum scire diem, et causa afferenda, cur verisimile esset Ciceronem hoc loco diem illum addidisse. Atque prius quidem nullo negotio: nam et ex ep. ad fam. XV, 14 § 1 cognoscimus Ciceronem et Cassium litterarum commercio hoc tempore usos esse, et potuit Cicero diem illum invenire in ea epistula, quam Roma de hac re acceperat. Consulto vero hoc loco Ciceronem commemorasse, quo die Cassii epistula data esset, mihi persuasum est; ipsius enim epistula sollicitudinis plena inter a. d. XIII. et XI. k. Oct. data erat, de qua re amicum edocuit in ep. V, 18 § 1 (‚his de rebus scripsi ad senatum'); quamquam igitur Cassii victrices litterae multo post, nonis demum Oct., datae erant, tamen his senatus minorem fidem habuerat; cf. V, 21 § 2: ‚Axius noster ait nostras auctoritatis plenas fuisse, illis negat creditum.' — Quodsi nonis Oct. Cassius ad senatum scripsit, aut ultimis Septembris aut primis Octobris diebus eum Parthos vicisse apparet; neque enim dubitabimus, quin perpaucis diebus post reportatam victoriam victrices litteras

a) Philol. XV p. 666. 667.

composuerit. Ceterum iure Hofmannus Ciceronem defendit contra gravissimas Drumanni[a] incusationes ex corrupta hac codicum lectione petitas. Langius[b] eandem lectionem etsi dubitanter secutus mirum in modum rerum ordinem perturbavit. Vehementissime autem Bardtius[c] erravit, cum vehementissime, deceptus hoc loco, Ciceronis fidem in dubium vocaret, atque in eius contumeliam res sibi fingeret prorsus incredibiles.

Sed iam ad Bibulum redeamus. Apparet eum circa ineuntem Octobrem provinciam a Cassio accepisse. Paulo post in Amanum venit, sed ibi minus bene rem gessit[d]. Sequitur autem ex hac Bibuli expeditione Amaniensi, ut aliquamdiu post Cassii victoriam Parthi quieverint; nec tamen prorsus sublatus erat Parthicus timor. Nam mense Februario proximi anni (704) in Cyrrhestica hiemabant, maximumque impendebat bellum[e]. Saepius Cicero proximis mensibus Attico de periculo Parthico scripsit; cumque nonis Juniis Tarsum venisset, audivit magnum esse in Syria bellum[f], quo nuntio commotus per Junium exercitum suum proxime ad hostem, i. e. ad Syriam habuit, nec tamen Bibulo auxilio venit[g]. Medio mense Quintili a Parthis nihil iam erat metuendum[h], ‚incredibili felicitate discesserant'[i]. Bibulus autem propter repulsos Parthos litteras Romam misit, ut supplicationes sibi decernerentur; atque quamquam Cicero eius res gestas nihili esse putabat[k], tamen amplissima XX dierum supplicatio Bibuli litteras secuta est[l]. Quae decreta esse videtur mense Octobri, nam Bibuli victrices litterae vix ante Septembrem Romae redditae sunt, et resciit Cicero de decreta supplicatione exeunte Novembri[l]. Decessit autem sine dubio ipse quoque Bibulus ad diem, id est ineunte Octobri 704, post annuam provinciae administrationem. Quod eo est verisimilius, quia Cicero ineunte Decembri, cum iam esset in Italia, de ea re certior factus esse videtur[m], id est post duos menses, quod est solitum temporis spatium, quo epistulae ex illa Asiae parte in Italiam perferebantur.

---

a) Drumann. II, 120, 33.
b) l. l. 388. 389.
c) Bardt, Quaestiones Tullianae. Berol. 1866. p. 25. 26.
d) cf. ad Att. V, 19 § 4; fam. VIII, 6 § 4.
e) V, 21, 2; VI, 1, 14.
f) cf. VI, 2, 6; 3, 2; 4, 1.
g) VI, 5, 3; fam. II, 17, 6.
h) fam. II, 17, 1.
i) Att. VI, 6, 3.
k) Att. VI, 8, 5; VII, 2, 6 et 8 extr. ad fam. XII, 19, 2.
l) Att. VII, 2, 6 et 7.
m) Att. VII, 3, 5.

12) cf. ad Att. VI, 9 § 1; VII, 1 § 1; ad fam. XIV, 5 § 1. Eodem die Ciceronem et a Pompeio et a Caesare litteras accepisse apparet ex ep. ad Att. VII, 1 § 3 extr.

13) cf. VI, 9 extr.

14) Est in extrema ep. ad fam. XIV, 5: ‚Athenis a. d. XV. kal. Nov.' (= 18. Oct.). Qui numerus num recte sit traditus dubitari potest. Miserat Cicero idibus Octobribus Romam ad Atticum epistulam VI, 9, quam Saufeio amico perferendam tradiderat (cf. VI, 9 § 4 et VII, 1 § 1: ‚dederam ad te unum'). In eius ep. § 4 legitur: ‚ego tabellarios postero die ad vos eram missurus, quos puto ante venturos quam nostrum Saufeium; sed eum sine meis litteris ad te venire vix rectum erat'. Quod dicit ‚ad vos eram missurus', id ad Terentiam quoque fortasse pertinet, quamquam id demonstrari nequit. Sed quam eo loco Attico promittit epistulam, est ea VII, 1, in cuius § 1 haec scribit: ‚Dederam equidem L. Saufeio litteras et dederam ad te unum, quod, cum non esset temporis mihi ad scribendum satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis litteris ad te venire nolebam; sed ut philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius'. Atque quoniam non dicit se mutasse consilium in ep. VI, 9 pronuntiatum (‚postero die ad vos eram missurus'), veri simillimum est hanc ep. postridie idus, i. e. a. d. XVII. k. Nov. (= 16. Oct.) datam esse. Scribit autem in ea de rebus domesticis (VII, 1 § 9): ‚hoc primum quo accessit cura dolori meo, sed hoc tamen quidquid est Precianum cum iis rationibus, quas ille (Philotimus) meas tractat, admisceri nolo. scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum, me quidquid possem nummorum ad apparatum sperati triumphi ad te redacturum'. Quae verba aperte spectant ad ep. XIV, 5 Terentiae missam; cf. § 2: ‚de hereditate Preciana . . . hoc velim cures: si auctio ante meum adventum fiet, ut Pomponius aut, si is minus poterit, Camillus nostrum negotium curet.' Quodsi dubitari nequit, quin haec sit ea epistula, quam in ep. ad Att. VII, 1 Terentiae se misisse dicit, necesse est eam aut paulo ante aut potius eodem die missam esse, quo illa ad Att. ep. VII, 1. Sequitur, ut aut ep. ad Att. VII, 1 non sit data postridie idus sed cum primum a. d. XV. k. Nov., aut in ep. ad Terentiam XIV, 5 pro ‚XV. kal.' sit scribendum ‚XVII. k.', quod mihi multo veri similius esse videtur. Id Grubero quoque placuit; nam utramque postridie idus vult datam esse; cui dubitanter assensus est Wesenbergius ascribens epistulae ad Ter. XIV, 5: ‚Scr. Athenis XV (XVII?) kal. Nov. 704.'

15) Quot dies Cicero Athenis fuerit, nusquam traditur. Ne illud quidem accurate statui potest, utrum inde pedibus

Patras usque processerit an superato Isthmo navibus ad illam urbem accesserit. Superiore quidem anno cum in provinciam se conferret, Actio maluit iter facere pedibus, quoniam Leucatam flectere molestum videbatur, actuariis autem minutis Patras accedere minus erat decorum[a]. Illo igitur anno nec Patras venisse nec navibus usus esse videtur, sed via terrestri per Acarnaniam, Aetoliam, Boeotiam Athenas Actio perrexisse. Quare non est veri dissimile, etiam iter anni 704, de quo nunc agimus, terrestre fuisse, nec tamen per Hellada quae proprie vocatur, verum per Megarensium et Corinthiorum fines, per Sicyoniam et Achaiam Patras usque factum esse[b]. Quamquam argumentis id demonstrari nequit. Neque vero quisquam sibi persuadebit Ciceronem supra Maleas Athenis Patras navigasse, etsi in ep. ad fam. IV, 12 § 1 legitur, M. Marcellum anno 709 ab Athenis supra Maleas in Italiam reverti voluisse. — Quo die Cicero Patras venerit non magis constat: acquiescendum igitur est in eo, Ciceronem inter a. d. XVII. k. Nov. (eo die certe Athenis nondum erat profectus) et a. d. IV. non. Nov. (quo die Patras reliquit) Athenis Patras iter fecisse.

16) Quo tempore Dolabella sibi Tulliam despondit, Cicero provinciae etiamtum praeerat[c]; nuntius de factis sponsalibus Ciceroni allatus est a. d. III. non. Sext., cum de provincia decedens ad Sidam accessisset[d]. De nuptiarum vero die nihil constat. Ex ep. ad. Att. VI, 8 fortasse concludere aliquis possit, mense Sextili iam factas esse nuptias; dicit enim Cicero se accepisse ultimo mensis Septembris die Ephesi epistulam Attici, in qua scriptum esset de Piliae uxoris Attici sermone de coniugio Tulliae. Sed verisimile est, illum sermonem potius ad ineundum coniugium spectasse: hoc enim Pilia dixisse videtur, sibi valde placere quod Tullia Dolabellae collocata esset. Cur autem nuptias mense Octobri factas esse putem causa ea est, quod a. d. XIV. k. Jun. (= 19. Mai.) 705 Tullia peperit puerum *ἑπταμηνιαῖον*, id quod legimus in ep. ad Att. X, 18 § 1.

17) cf. ad fam. XVI, 9 § 1 cum XVI, 1 et XVI, 2; vide etiam ep. ad Att. VII, 2 § 3.

18) Est dies in extrema ep.

19) cf. ad fam. XVI, 2: ‚tertio abs te die'; ergo pr. non.

---

a) Att. V, 9. 1.

b) Q. Cicero a. u. c. 707 cum in Asiam se vellet ad Caesarem conferre, primo Patris fuit, deinde Sicyone, ut cognoscitur ex epp. ad Att. XI, 5,4; 6, 7; 7, 7.

c) fam. VIII, 13, 1.

d) fam. III, 12, 4; Att. VI, 6, 1.

20) cf. XVI, 3 § 1 et XVI, 2.

21) cf. XVI, 3 § 1 et XVI, 9 § 1.

22) cf. XVI, 4 extr.; 5 extr.; 6 § 1 et extr.

23) cf. XVI, 9 § 1.

24) cf. ibid.

25) cf. ibid. et XVI, 7.

26) cf. XVI, 7 extr. et XVI, 9 § 1.

27) cf. XVI, 9 § 1.

28) cf. XVI, 9 § 2.

29) cf. ibid.

30) cf. ibid. et ad Att. VII, 2 § 1 et 2.

31) Ep. ad Tironem XVI, 9.

Exponit Cicero hac ep. Tironi, quemadmodum post discessum iter fecerit quibusque in locis quoque tempore moratus sit. Quae itineris descriptio cum ultra commorationem Brundisinam perducta non sit, iure inde concludi potest Brundisio hanc ep. datam esse. Venit Cicero in eam urbem a. d. VII. k. Dec.; ibidem a. d. V. Tironis litteras ‚tandem aliquando' accepit, id quod ipse dicit in § 2; ad eas litteras haec Ciceronis ep. rescripta est. Fortasse igitur postero iam die, IV. kal., mane data est; atque videtur eam Cicero scripsisse cum profectionem pararet; est enim in § 3: ‚equum et mulum Brundisii tibi reliqui', in quibus verbis quin perfectum ‚reliqui' ex noto illo epistolari genere scribendi explicandum sit dubitari vix potest. Atque a. d. IV. kal. Dec. Ciceronem Brundisio esse profectum satis est verisimile. Scimus enim ex ep. ad Att. VII, 3 § 1 eum Aeculanum venisse a. d. VIII. id. Dec., quod oppidum a Brundisio abest m. p. 186[a]. Solebat autem Cicero in itineribus Italicis vicena vel vicena quina cotidie milia passuum decurrere[b]; ad iter igitur Brundisio Aeculanum conficiendum octo vel novem dies opus erant. Quod si ita est, aut a. d. IV. aut a. d. III. k. Dec. Brundisio profectus est.

---

a) cf. Itinerarium Antonini Augusti et Hierosolymitanum ed. Parthey et Pinder. Berol. 1848. p. 54, 55.

b) Ceterum eam qua nobilis aliquis homo Romanus utebatur celeritatem non esse comparandam cum tabellariorum, nemo non videt. cf. Friedländer, Sittengesch. Lpz. 1864. p. 10,11.

Ep. ad Atticum VII, 2.

Haec quoque epistula Brundisio data esse videtur; nuntiat enim Cicero Attico se a. d. VII. k. Dec. Brundisium venisse; de profectione nihil dicit. Quod vero in § 3 scribit de Tirone: ‚sum sollicitus maximamque spem habeo in M.' Curii diligentia, de qua ad me scripsit Tiro', inde apparere videtur accepisse eum Tironis litteras a. d. V. k. Dec. ‚tandem aliquando' redditas; ex quo efficitur hanc quoque ad Atticum epistulam paulo ante datam esse quam Brundisio Cicero proficisceretur.

Iure igitur statui potest utramque epistulam circ. a. d. IV. k. Dec. datam esse pauloque post Ciceronem Brundisio perrexisse.

32) Aeculanum cum Cicero venisset a. d. VIII. id. Dec., redditae ei sunt Attici epistulae[a], quae mense Novembri datae esse videntur. Erat enim una ex iis rescripta ad Ciceronis epistulam idibus Octobribus Athenis datam (VI, 9), id quod apparet ex ep. VII, 3 § 10 coll. cum ep. VI, 9 § 1. Quae Ciceronis epistula cum Saufeio tradita esset, quem tardius Cicero ad urbem accessurum esse putaret, certe non ante medium Novembrem Attico allata est; nam ‚sane strenue' Acastus 21 diebus iter Roma Athenas fecerat. Quare omnes Attici epistulae Aeculani Ciceroni redditae mense Novembri datae esse videntur, praesertim cum paulo ante, circ. exeuntem Novembrem, Brundisii quoque Cicero multas Attici litteras uno tempore acceperit[b].

Iam cum in ep. VII, 3 § 6 sic Cicero scribat: ‚nunc — fere enim respondi tuis litteris de re publica et iis quas in suburbano et iis quas postea scripsisti — ad privata venio; unum etiam de Caelio: tantum abest ut meam ille sententiam moveat, ut valde ego ipsi quod de sua sententia decesserit, paenitendum putem' — quae verba iure interpretes ad commutationem partium pertinere statuerunt — apparet, Caelium mense Novembri Pompeianorum partes abiecisse atque pro Caesare facere coepisse.

33) cf. VII, 3 § 1; 4 § 2.

34) cf. VII, 3 § 11 et extr.

35) Est in ep. VII, 4 § 2: ‚Pompeium vidi IV. id. Dec.; fuimus una horas duas fortasse'. Quod quo loco factum sit, statui nequit. Fuit Cicero a. d. V. id., i. e. pridie, in Trebulano, ubi quam diu commoratus sit ignoratur. Nec tamen verisimile

a) VII, 3, 1.
b) VII, 2, 3.

est Pompeium ad Ciceronem in Trebulanum venisse; facilius credemus Ciceronem illi obvium fuisse Appia via aut in Pompei aliquod praedium Campanum se contulisse. — Omnino inde ab a. d. IV. id. Dec. usque ad a. d. VII. kal. Jan. (= 10.—24. Dec.) ubi quoque tempore Cicero fuerit non constat. A. d. VI. kal. Jan. (= 25. Dec.) una cum Pompeio, quocum iterum ad Lavernium congressus erat, Formias venit. Pompeius igitur per hoc tempus in Campania commoratus esse videtur, fortasse Neapoli, ubi haud paulo iam ante eum fuisse cognosci potest ex ep. VII, 2 § 5; Ciceronem autem verisimillimum est circa villulas et suas et amicorum errasse in Campania sitas; neque enim prius quam a. d. III. non. Jan. ad urbem accedere statuerat, cf. VII, 4, § 3 extr.

36) Epistulam VII, 4 post a. d. IV. id. Dec. datam esse apparet ex § 2: ‚Pompeium vidi IV. id. Dec.' Tulit eam Dionysius, Attici libertus (§ 1); quem Romam a. d. XV. kal. Jan. pervenisse legimus in ep. ad Att. VII, 7 § 1. Apparet igitur datam esse epistulam inter a. d. IV. id. Dec. et XV. kal. Jan. (= 10.—16. Dec.). Unde vero Cicero eam miserit, nescimus; nam etsi in proxima ep. (VII, 5 § 3) scribit: ‚de ceteris rebus habes Dionysium. sororem tuam non venisse in Arcanum miror', ut facile conicere possis Ciceronem cum eam scriberet in Arcano fuisse, tamen quo tempore illuc venerit ignoratur; ac ne illud quidem certum, utrum ipse Cicero in Arcano fuerit, an nuntium illum de sorore Attici, Quinti fratris uxore, alio aliquo loco acceperit. Sed utut res se habet, certe Cicero circa hoc tempus in iis locis commoratus est (cf. ad 35), ex quibus triduo vel quadriduo Romam epistulae perferri solebant[a]. Recte igitur Schuetzius hanc ep. circa idus Dec. vult datam esse.

37) Epistulam VII, 6 eodem fere tempore datam esse quo VII, 5 facile apparet ex similitudine argumenti; nam ea quae in ep. 5 §§ 4 et 5 de re publica legimus, tantum non iisdem verbis in breviore ep. 6 repetuntur. Verisimile igitur est Ciceronem alteram eodem die dandarum litterarum occasionem adeptum eadem scribere quam non uti occasione oblata maluisse; atque ita fere rem se habere ipse Cicero testis est; cf. § 1: ‚Plane deest quod ad te scribam ... tantum igitur nostrum illud sollemne servemus, ut ne quem istuc euntem sine litteris dimittamus.' Quare aut eodem die quo ep. VII, 5, aut postridie mihi ep. 6 data esse videtur. Quaeritur igitur, quo tempore ep. 5 conscripta sit. Legitur in eius ep. § 3: ‚de ceteris rebus habes Dionysium', ex quo efficitur ut post ep.

a) Bardt, l. l. p. 8; Schmidt l. l. p. 4.

VII, 4 data sit, quoniam illa Dionysio perferenda tradita erat. Nec minus manifestum est, eam ante ep. VII, 7 scriptam esse: nam in ep. 5 § 3 Cicero consilium itineris sui exponit, quod cur mutaverit scribit in ep. 7 § 3. Est autem ep. 4, ut diximus, data post IV. id. Dec.; epistulam 7 ante VI. kal. Jan. datam esse mox ostendam: habemus igitur epistulae 5 terminos illos dies (= 10.—25. Dec.), ita tamen ut intra idem temporis spatium ante eam epistula 4, epistula 7 post eam missa sit. Quodsi recte epistulam 4 circa id. Dec. scriptam esse statuimus, haec (nec non. ep. 6) paucis post diebus, circa XV. kal. Jan. (= 16. Dec.) data esse videtur.

38) Est in ep. VII, 7 § 1: »Dionysius . . . Romam venit XV. kal. Jan. et litteras a te mihi reddidit«: tot enim verba sunt de Dionysio in epistula tua.' Acceperat igitur Cicero, cum hanc. ep. componeret, litteras Attici, in quibus illa verba scripta erant. Sequitur, ut non minus triduo vel quadriduo post a. d. XV. kal. Ian. haec ep. data sit; cumque in § 3 legatur: ‚ego quoniam III. non. Jan. compitalicius dies est, nolo eo die in Albanum', ante illum diem ep. scripta sit necesse est. Quare Wesenbergius: ‚inter a. d. XV. kal. et IV. non. Jan.' Paulo tamen accuratius tempus circumscribi potest. Nam ep. VII, 8 post hanc missam esse cognoscitur ex iis quae in eius § 1 iterum de Dionysio leguntur: ‚Quid opus erat de Dionysio tam valde adfirmare e. q. s.' Quoniam autem in ep. 8 demum Cicero Atticum certiorem facit se cum Pompeio iterum congressum esse a. d. VI. kal. Jan. (cf. § 4), apparet epistulam 7 ante illum diem conscriptam esse. Data igitur est inter XV. et VI. kal. Jan. (= 16.—25. Dec.), neque multum a vero aberrabimus, si circa XI. k. Jan. (= 20. Dec.) eam scriptam esse putabimus. Quod confirmatur hac ratiocinatione. Epistulâ 7 Cicero respondit ad illas Attici litteras, in quibus scriptum erat Dionysium a. d. XV. kal. Jan. Romam venisse; rescripsit Atticus epistulam, qua Dionysium contra crimen ingratitudinis defenderet (cf. VII, 8 § 1): huic Attici epistulae Cicero respondit epistula VII, 8, quam a. d. V. kal. Jan. datam esse verisimillimum est. Commorabatur autem Cicero in aliquo Campaniae praedio, Atticus Romae: tribus igitur fere diebus epistulae perferri poterant. Jam videas tabellam:

Scr. Atticus post adventum Dionysii a. d. XIV. k. = 17. Dec.
accepit Cicero eius ep. . . . . 19. »
respondit ep. VII, 7 . . . . . 20. »
eam Atticus accepit . . . . . 22. »
rescripsit . . . . . 23. »
responsum allatum est Ciceroni . . . 25. »
dedit Cicero ep. VII, 8 . . . . . 26. »

Videtur igitur ep. VII, 7 data esse circ. XI. kal. Jan. (= 20. Dec.).

39) cf. ad Att. VII, 8 § 5.

40) cf. ibid. § 4.

41) Legitur in ep. VII, 8 § 4: ‚quod putasti fore, ut antequam istuc venirem Pompeium viderem, factum est ita: nam VI. kal. ad Lavernium consecutus est; una Formias venimus et ab hora octava ad vesperum secreto collocuti sumus. quod quaeris e. q. s.' In § 2 Cicero invitat Atticum ut, si sine incommodo valetudinis suae fieri possit, a. d. III. non. Jan. in Albano se conveniat. Sunt igitur termini 25. Dec.—2. Jan. Sed tota epistula sic est scripta, ut facile credas eam statim post illud cum Pompeio colloquium datam esse, aut vesperi etiam eiusdem diei aut mane a. d. V. kal. Jan. Utrum ex Formiano an Formiis missa sit, diiudicari nequit; quamquam Ciceronem voluisse ultimos anni 704 dies commorari in Formiano, concludi debet ex ep. VII, 5 § 3.

42) Ne hanc quidem epistulam (VII, 9) multo post colloquium supra commemoratum scriptam esse universum argumentum docet. Certe Cicero cum eam scripsit nondum ad urbem processerat, id quod apparet ex § 1. Sunt igitur termini V. kal. et III. non. Jan. (= 26. Dec. — 3. Jan.); nam pr. non. Cicero ut voluerat ad urbem erat (cf. fam. XVI, 11, 2). Sed ‚cotidie' illud, quod in initio epistulae legitur, haud dubie significare videtur, postridie superiorem ep., si quidem nulla intercidit, hanc datam esse, i. e. IV. kal. Jan.

43) Circiter idus Decembres Cicero constituerat accedere ad urbem a. d. III. non. Jan.[a] Voluit autem ita iter facere, ut pr. kal. Jan. de Formiano Tarracinam proficisceretur, inde (kal. Jan.) in Pomptinum pergeret, deinde (IV. non.) ad Albanum Pompei deverteretur, ad urbem accederet a. d. III. non., qui erat ipsius dies natalis[b]. Quod tamen consilium postea paululum mutare animum induxit: venisset enim, si ita iter fecisset, in Albanum a. d. IV. non., die compitalicio; quare, ne molestus familiae veniret, postridie eius diei, a. d. III. non., Albanum ingredi statuit et ad urbem accedere pr. non.[c]. Atque ita factum esse iter inde apparet quod revera Cicero pr. non. ad urbem venit (v. 44). Sine dubio igitur non pr. kal. Jan. sed ipsis kalendis de Formiano profectus est.

44) cf. ad fam. XVI, 11 § 2.

---

a) ad Att. VII, 4 extr.
b) VII, 5, 3.
c) VII, 7, 3; 8, 2.

45) cf. ibid. § 2 et 3.

46) Est dies in extr. ep.

47) Excusat se Cicero (ep. ad fam. V, 20) Mescinio Rufo, quaestori suo, querenti per litteras, quod celerius rationes ad aerarium detulisset (§ 2). Apparet igitur Ciceronem, quoniam rationes iam in aerario deposuit, ad urbem e provincia venisse. Atque quo tempore epistula conscripta est, eum ad urbem etiamtum fuisse docent verba § 9: ‚ego tamen cum Tullius (libertus) rure redierit, mittam eum ad te.' Sequitur ut ep. inter pr. non. Jan. et XIV. kal. Febr. (4.—17. Jan.) data sit; per illud enim temporis spatium Cicero ad urbem commoratus est.

48) Scribit Cicero in ep. ad Tironem XVI, 12 exeunte Januario data: ‚itaque cum Caesar amentia quadam raperetur et oblitus nominis atque honorum suorum Ariminum Pisaurum, Anconam Arretium occupavisset, urbem reliquimus'. Nuntio igitur de primis Caesaris rebus gestis allato Pompeiani ab urbe discesserunt. Quod quando factum sit ex Ciceronis epistulis concludi potest. Legitur enim in ep. ad Att. IX, 10, § 4: ‚erat igitur in ea, quam X. kal. Febr. dederas, hoc modo: »sed videamus . . .« hoc scribis post diem quartum quam ab urbe discessimus.' Erat igitur X. k. Febr. dies quartus post discessum, ex quo efficitur ipsum Ciceronis discessum cadere in a. d. XIII. k. Febr.; nam more Romano in eiusmodi calculis et primi et ultimi diei habetur ratio. Quaeritur autem, utrum simul cum Pompeio Cicero ab urbe profectus sit necne. Atque ex epistula quidem medio Februario a Cicerone ad ipsum Pompeium missa (VIII, 11, B § 3) concludere aliquis possit una eos urbem reliquisse; dicit enim Cicero: ‚idque tecum, quo die ab urbe discessimus, locutus sum'. Tamen aliter rem se habere facile demonstrari potest. Nam Cicero ipso illo die quo profectus est dedit ad Atticum ep. VII, 10, ex qua cognoscitur, ipsum multo mane antequam luceret exisse, consilium autem relinquendae urbis antea iam a Pompeianis captum esse, neque iam Pompeium esse cum ipso. Accedit quod in ep. ad Att. IX, 10 § 2 Cicero sic de Pompeio scribit: ‚vidi hominem XIV. kal. Febr., plenum formidinis: illo ipso die sensi quid ageret; numquam mihi postea placuit nec umquam aliud ex alio peccare destitit; nihil interim ad me scribere, nihil nisi fugam cogitare.' E quibus verbis apparet Ciceronem ultimum cum Pompeio collocutum esse a. d. XIV. k. Febr. Quae omnia si recte consideramus, ita res cohaerere videtur: a.d. XIV. k. Febr. (= 17. Febr.), nuntiis illis de Caesare allatis, a Pompeio senatoribusque consilium relinquendae urbis captum est; ipse Cicero Pompeio

confirmavit se eius consilii participem esse velle (cf. ad Att. VIII, 11, B § 3); Pompeius et senatores plurimi eodem illo die vel etiam ea nocte quae consecuta est profecti sunt; Cicero vero postero die, a. d. XIII. k. Febr., ante lucem ab urbe discessit. Potuit igitur sane Cicero scribere Pompeio se cum illo collocutum esse eo die, quo ab urbe profecti essent, etsi revera ipse per noctem etiam ad urbem moratus erat.

49) Exposuimus a. d. XIII. k. Febr. (= 18. Jan.) ante lucem Ciceronem profectum esse ab urbe; ex ipsa autem ep. VII, 10 apparet, cur non una cum reliquis optimatibus discesserit: scilicet verebatur, ‚ne qui conspectus fieret aut sermo, lictoribus praesertim laureatis'. Scilicet spem triumphi Cicero nondum abiecerat nec postea abiecit, quam diu in Italia commoratus est [a]. Ex quo etiam illud colligitur, verbum exeundi, quod Cicero de profectione sua usurpat, non ita esse accipiendum, ut Ciceronem in ipsa urbe fuisse putemus: exiit ex aliqua urbis parte quae erat extra pomerium, ex suburbano: nam qui triumphum flagitabat, ei, ne imperium amitteret, in urbem introire non licebat.

50) Epistulam ad Att. VII, 11 cum Cicero ordiatur ab his verbis: ‚Quaeso quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebrae sunt: Cingulum, inquit, nos tenemus, Anconem amisimus [b]; Labienus discessit a Caesare' facile intellegitur paulo ante conscriptam epistulam eum de gravissimis his rebus certiorem esse factum. Quaerendum igitur est, ad quem diem conscriptio epistulae referenda sit. Quod quo facilius assequi possimus, primum in universum de tempore et huius et duarum proximarum epistularum disputandum esse videtur. Atque quin eodem temporis ordine deinceps missae sint, ut in mss. leguntur, dubitari nequit. Nam epistulam VII, 11 universus commotionis color coarguit datam esse paulo post discessum ab urbe, cum vehementissime etiamtum Cicero perturbatus esset ‚temeritate amentissimi consilii'; cf. § 3: ‚per fortunas! quale tibi consilium Pompei videtur? hoc quaeso quod urbem reliquerit e. q. s.' Tamen Ciceronem iam aliquantum spatii ab urbe abesse apparet ex § 5: ‚ego negotio praesum non turbulento; volt enim me Pompeius esse, quem tota haec Campania et maritima ora habeat *ἐπίσκοπον* . . . itaque vagus esse cogitabam.' — Minore

a) cf. Att. VII, 12, 4; VIII, 3, 5; IX, 1, 3; X, 4, 10; 10, 1; ad fam. II, 16, 2.

b) Observes amphiboliam: est enim cingulum idem quod zona, ancon quod fibula.

iam animi perturbatione epistula VII, 12 conscripta est; quod de Labieno in ep. 11 sibi nuntiatum esse dixerat, verum esse videtur, cf. § 5: ‚Labienum ab illo discessisse propemodum constat.' Epistulam 13 cum dedit certo iam scivit, Labienum bonum virum esse: ‚Labienum ἥρωα iudico; facinus iam diu nullum civile praeclarius (§ 1).' — Jam de singulis epistulis videamus: ac primum quidem de ep. 12.

Data ea est post a. d. X. kal. Febr. (= 21. Jan.); cf. § 2: ‚vidi Lentulum consulem Formiis X. kal., vidi Libonem e. q. s.'. Necesse autem est eam ante VIII. k. conscriptam esse, quoniam eo die Terentiae Minturnis scribit (ad fam. XIV, 14 § 2): ‚Labienus rem meliorem fecit; adiuvat etiam Piso, quod ab urbe discedit et sceleris condemnat generum suum.' Nihil de his rebus in ep. 12, nisi quod de Labieno ‚propemodum' constat; at in ep. 13 similiter: ‚Labienum ἥρωα iudico . . . qui, ut aliud nihil, hoc tamen profecit: dedit illi dolorem; sed etiam ad summam aliquid profectum puto. amo etiam Pisonem, cuius iudicium de genero suspicor visum iri grave.' Iniuria igitur Gruberus et Baiterus ep. 12 simul cum ep. ad Terentiam XIV, 14 a. d. VIII. k. scriptam esse statuunt; ep. 13 potius una cum illa missa est. Itaque quoniam inter a. d. X. et VIII. kal. Cicero epistulam 12 scripsit, recte eam Wesenbergius ad a. d. IX. k. Febr. rettulit; sed quod Minturnis eam vult datam esse, haud scio an erraverit vir doctus. Nam pridie eius diei Lentulum Cicero vidit Formiis, unde profectum se esse non significat: verisimile igitur est eum pernoctasse Formiis et postero die, a. d. IX. kal., post datam hanc epistulam — mane enim epistulas conscribere solebat — Formiis Minturnas se contulisse, ubi certe fuit a. d. VIII. kal. (cf. ad fam. XIV, 14 extr.). Quae coniectura confirmatur ep. ad fam. XIV, 18, quae et ipsa Formiis a. d. IX. k. data est.

Epistulam 13ª (nam §§ 5—7 novam ep. efficiunt) eodem die datam esse, quo ep. ad fam. XIV, 14, facile est demonstrare. In utraque enim eadem de Labieno, de Pisone; suadet Cicero in hac uxori, ut Atticum consulat, in illa ab Attico petit, ut uxori suae et filiae prospiciat; in utraque etiam Dolabellae mentio fit stantis a partibus Caesaris. Apparet igitur utramque eadem occasione datam esse; cumque in ep. ad Terentiam dies inveniatur et locus: ‚VIII. kal. Minturnis' efficitur, ut iniuria Wesenbergius epistulam ad Att. 13ª Calibus missam esse statuat. Data et ipsa est a. d. VIII. kal. Minturnis. — Epistulam ad Att. VII, 11 inter a. d. XIII. et X. kal. Febr. (= 18.—21. Jan.), i. e. post discessum ab urbe, sed ante quam Formiis Lentulum vidit, dedisse Ciceronem apparet ex iis quae supra exposui. Quodsi consideramus, quanta animi commotione Cicero eam

scripsisse videatur, iure fortasse postridie discessum, a. d. XII. k. (= 19. Jan.) eam datam esse statuere possumus[a]. Quod eo est verisimilius, quia a. d. V. k. Febr. in ep. VII, 15 Cicero scribit se nullum adhuc post discessum intermisisse diem, quin aliquid ad Atticum litterarum daret. Quarum cotidianarum epistularum sane duae interciderunt: nam praeter epistulam VII, 10 a. d. XIII. kal. datam et ep. VII, 11 quinque tantum epistulae exstant datae deinceps a. d. IX., VIII., VII., VI., V. kal. Febr., id quod infra ostendetur; earum igitur trium epistularum, quae a. d. XII., XI., X. kal. missae sunt, unam tantum habemus ep. VII, 11; sed argumenta epistularum 10, 11 et 12 accurate considerantí multo certe veri similius esse videbitur, deperditarum epistularum locum fuisse inter 11 et 12, quam inter 10 et 11.

Ceterum quod de amissa Ancona in itinere demum Cicero certior factus esse videtur (cf. VII, 11 § 1), cum tamen in ep. ad Tironem XVI, 12 scribat se ab urbe discessisse, cum Caesar Ariminum Pisaurum, Anconam Arretium occupavisset, nihil magnopere repugnantis in eo inest. Epistula enim illa ad Tironem eo tempore conscripta est, cum accuratius iam Cicero de rerum gestarum tempore et ordine iudicare posset; nec est cur dubitemus, quin revera Ancona ante discessum Pompeianorum amissa sit, quamquam hic nuntius tum Romam non perlatus fuisse videtur.

De negotio a Cicerone suscepto paulo fusius disputandum est, quia nonnulla de hac re in epistulis inveniuntur, quae non bene congruere videntur. Ac primum quidem in ep. ad Tironem XVI, 11 § 3 haec exstant: ‚Italiae regiones descriptae sunt, quam quisque partem tueretur; nos Capuam sumpsimus.' Hoc scriptum est pr. id. Jan.; apparet igitur, illo tempore cum nondum urbem Pompeiani reliquissent, Ciceroni quoque aliquam belli gerendi partem delatam esse; nec id mirum, quoniam et ipse cum imperio ad urbem erat, sicut Pompeius. Tamen postea illud defendendi Capuam negotium a se reiecisse videtur, quamquam quo tempore id factum sit, aperte nullo loco dicit. A. d. XII. kal. Febr., i. e. postridie discessum, Attico haec nuntiat: ‚ego negotio praesum non turbulento; volt enim me Pompeius esse, quem tota haec Campania et ora maritima habeat *ἐπίσκοπον*, ad quem dilectus et summa negotii referatur[b].' Nihil igitur de tuenda Capua, de gerendo bello: negotium Ciceronis turbulentum non est. A. d. VI. k. Febr. scribit se orae maritimae praeesse[c]; illo tamen tempore a Pompeio iussus erat Capuam

a) Nissenus l. l. p. 97, 4 eam ad a. d. XI. kal. (= 20. Jan.) refert.
b) cf. ad Att. VII, 11 § 5.
c) cf. VII, 14 § 3.

venire, ut ibi dilectum adiuvaret[a]. Paulo post, a. d. IV. k., Tironi aperte dicit: ‚ego adhuc orae maritimae praesum a Formiis. nullum maius negotium suscipere volui, quo plus apud illum (Caesarem) meae litterae cohortationesque ad pacem valerent[b].' De eo igitur dubitari nequit, quin orae maritimae praesidium Cicero in se susceperit; quare confitendum est consulto eum a vero deflexisse in ep. ad Trebatium, Caesaris amicum, data, de qua a. d. IV. non. Febr. Attico in ep. VII, 17 § 4 scribit: ‚rescripsi ad Trebatium . . me . . in praediis meis esse, neque dilectum ullum neque negotium suscepisse: in quo quidem manebo dum spes pacis erit.' Susceperat negotium, sed eius modi negotium, quod nullum esse videri posset, quia per illud otiosum esse licuit. Hunc in modum ea verba intellegenda sunt, quae in ep. VII, 26 § 2 leguntur: ‚ego me ducem in civili bello quoad de pace ageretur negavi esse.' Nam eodem fere tempore, quo haec scripta sunt, epistula VIII, 11, B ad Pompeium missa est, in cuius § 1 sic legitur: ‚nos adhuc in ea ora, cui praepositi sumus, ita fuimus ut navem paratam haberemus.' E qua epistula satis verbosa etiam optime illud apparet, Ciceronem omnino nihil egisse, quo Pompei partes complecti posset videri: ne dilectum quidem Capuae adiuvit, quod eum iussum esse facere a Pompeio supra diximus. Videmus igitur Ciceronem per omne illud tempus inde a relicta urbe usque ad relictam Italiam nullo alio negotio functum esse nisi praefuisse orae maritimae, quod quam nihil fuerit nemo non intellegit. Quod si ita est, paulo ante discessum ab urbe vel potius in ipso discessu Capuam antea sumptam a se reiecisse videtur, de qua re exeunte Februario scribit ad ipsum Pompeium in ep. VIII, 11, D § 5: ‚maxime vellem primum semper tecum fuissem, quod quidem tibi ostenderam, cum a me Capuam reiciebam; quod feci non vitandi oneris causa e. q. s.': Similiter postero die ad Atticum (VIII, 12 § 2): ‚nam certe neque tum peccavi, cum imparatam Capuam . . . accipere nolui e. q. s.'[c]

Ceterum quod ita Cicero se gessit — quod non solus fecit, sed satis multi cum eo senatores — non nimis ei crimini vertendum est. Neque enim dubitari debet, quin re vera Cicero putaverit se esse aptissimam personam ad pacem concordiamque inter Caesarem et Pompeium reconciliandam: illo pacis studio atque amore patriae adductus est, ut ducem belli se esse

---

a) cf. VII, 14 § 2.

b) cf. ad fam. XVI, 12, 5.

c) Est tertius de hac re locus, sed qui valde corruptus traditur, in ep. ad Att. VIII, 3 § 4. Ibi pro eo quod est: ‚in te cepit Capuam' conicio legendum esse: ‚hinc reieci Capuam.'

negaret[a]. Accedit quod Cicero non erat is, qui de rebus publicis recte posset iudicare. Omnino tota Ciceronis miseria inde est repetenda, quod ipse plus in re publica videre et valere se putabat aliisque ut putarent persuadebat, quam per naturam viresque eius licebat.

51) cf. ad Att. VII, 12 § 2.

52) De epistula ad Att. VII, 12 v. ad 50; epistulae ad Terentiam dies et locus in fine ascriptus est: ‚IX. kal. Formiis' (vide Baiter. et Wesenberg.; Schuetzius falso legerat ‚VIII. kal.', qua lectione ad ineptam coniecturam perductus est).

Eodem die Ciceronem Formiis Minturnas esse profectum propterea est verisimile, quia postero die, VIII. kal., mane iam erat Minturnis; cf. ad Att. VII, 13[b] § 2.

53) cf. ad Att. VII, 13[b] § 3 (= VII, 13 § 7).

54) cf. ad Att. VII, 17 § 3.

55) De epistula VII, 13[a] v. ad 50; invenitur dies et locus in ep. ad Terent. XIV, 14. Nam etsi codd. praebent ‚VIII. kal. Quint. Minturnis' tamen dubitandum non est, quin illud ‚Quint.' librarii errore adiectum sit ex clausulis superiorum et sequentium epistularum. Fuit simpliciter ‚kal.' ut in ep. XIV, 18, id quod Wesenbergius recte monuit; ‚kal. Febr.' Sigonius iam correxerat.

Ante lucem has duas epp. conscriptas esse inde apparet, quod nihil in iis legitur de L. Caesaris legatione, quem gravissimum nuntium certe Cicero non omisisset, si ante conscriptas epistulas L. Caesarem vidisset: quem vidit eodem die ‚mane', cf. ad Att. VII, 13[b] § 2 (= VII, 13 § 6).

56) cf. ad Att. VII, 13[b] § 2; 14 § 1.

57) VII, 13[b]. Novam epistulam esse ut statuam, quattuor causis commoveor; nam primum quae verba exeunte § 4 leguntur (‚loquacitati ignosces, quae et me levat ad te scribentem et elicit tuas litteras'), concludi iis epistulam vix potest negari; deinde si §§ 1—7 unam epistulam efficerent, bis Cicero de Labieno scripsisset (§ 1 et § 7); tum §§ 1—4 ab ipso Cicerone scriptas esse apparet (‚me levat ad te scribentem'), at in § 7 legitur: ‚dictavi propter lippitudinem'; denique brevitatem epistulae Cicero in § 7 excusat, quae excusatio si ad §§ 1—7 spectaret intellegi non posset, quoniam ea ep. longior esset,

a) De pacis studio cf. VII, 14 extr.; VIII, 9; 11, D § 6 al.

quam quas Attico Cicero mittere soleret. — Nova hac ep. exponuntur ea, quae usque ad a. d. VIII. k. facta sunt; postridie igitur mane, a. d. VII. k. (= 24. Jan.) Cicero eam dedisse videtur. Quaeritur autem, ex quo loco missa sit. A. d. VIII. kal. Cicero fuit Minturnis, ut saepius dictum est. Inde per Cales Capuam profectus est: Capuam pervenit a. d. VI. kal. Videtur igitur Minturnis profectus esse a. d. VII. kal., deinde pernoctasse Calibus, inde ire perrexisse a. d. VI. k.; cf. ep. VII, 14 § 1. Quodsi Cicero hanc epistulam ex more suo mane conscripsit, Minturnis etiam data est.

58) cf. VII, 14 § 1; 15 § 2.

59) De die, quo Pompeius Teano Sidicino profectus sit, varia traduntur. Scribit Cicero a. d. VII. kal. Febr. in ep. VII, 13[b] eum Teano Larinum versus profectum esse a. d. VIII. kal. eodemque die Venafri mansisse. Quod si ita est, Pompeius statim post probatas L. Caesaris condiciones ire perrexit. Tamen est cur putemus nuntium de Pompei profectione Ciceroni a. d. VII. kal. iam allatum minus verum fuisse. Nam in eadem Cicero epistula (VII, 13[b]), qua Atticum de hoc nuntio certiorem facit, scribit etiam se vidisse L. Caesarem cum mandatis, nec tamen quicquam addit de eius cum Pompeio colloquio nec de probatis condicionibus. Atqui is, qui nuntium de profectione Pompei attulit, profecto etiam nuntiasset L. Caesarem Pompeium convenisse, nisi incertos rumores secutus esset. De probatis autem condicionibus Cicero a. d. VI. kal. demum certior factus est, id quod apparet ex ep. VII, 14 eo die conscripta: in qua epistula nihil de Pompei profectione legitur. A. d. V. kal. in ep. VII, 15 Cicero iterum scribit: ‚Pompeius ad legiones Appianas est profectus, Labienum secum habet.' Videtur igitur eo tempore illos nuntios accepisse, e quibus accuratius quo die Pompeius profectus esset cognosceret. Quocum optime convenit, quod in ep. ad Pompeium missa (VIII, 11, B § 2) legimus: ‚ego . . . Capuam veni eo ipso die, quo tu Teano Sidicino es profectus.' Venit autem Cicero Capuam a. d. VI. kal., cf. VII, 15 § 2; eodem igitur die Pompeius Teanum reliquisse videtur.

60) cf. VII, 15 § 2.

61) Est dies in extr. ep.

62) Quinti Ciceronis ad Tironem epistulae accurate tempus definiri nequit. Scripta est hieme; cf. § 1: ‚nec te navigationi et viae per hiemem committas' et § 2: ‚vix in ipsis tectis et oppidis frigus infirma valetudine vitatur.' Ipse Marcus Tironem

rogat, ne hieme mari se committat, a. d. IV. kal. Febr. epistula XVI, 12; cf. § 6. Eodem fere tempore haec ep. scripta esse videtur.

63) cf. ad Att. VII, 16 § 2 extr.

64) Quo die in Formianum pervenerit, diserte non dicit. Sed certe non plus duos dies in itinere fuit; nam quoniam a. d. III. kal. Febr. Capua profectus est, cum nonis Febr. iterum Capuam venire iussus esset (cf. VII, 16 § 2), sine dubio quam celerrime in praedium suum iter fecit, ne post adventum statim redire cogeretur. (Fuit etiam postea, cum Capuam rediit, duos dies in itinere: a. d. III. non. ex Formiano profectus pr. non. Capuam pervenit).

65) cf. VII, 17 § 5.

66) cf. VII, 18 § 1. Pomponiam quoque, Quinti uxorem, fuisse inter mulieres a Cicerone significatas ex eo concludi potest, quod in ep. VII, 14 § 3 legitur. Quamquam non prorsus hoc est certum, quia in ep. VII, 16 § 3 de Terentia et Tullia tantum est sermo.

67) cf. VII, 18 § 1; VII, 19.

68) cf. VII, 20 § 1.

69) Est in ep. VII, 20 § 1: ‚Capuam veni pridie nonas.' § 2: ‚ego si quid hic hodie novi cognoro, scies; iam enim aderunt consules ad suas nonas.' Illud ‚hodie', ut particula ‚enim' significat, pertinet ad nonas. Ergo data non. Febr. Capua. De adventu Lentuli cf. VII, 21 § 1.

70) cf. ad Att. VIII, 2 § 1: ‚ego ad Caesarem unas Capua litteras dedi, quibus ad ea rescripsi, quae mecum ille de gladiatoribus suis egerat.' Caesaris epistula ad Ciceronem missa commemoratur in ep. ad. Att. VII, 21 § 3; 23 § 3. De gladiatoribus cf. VII, 14 § 2. Nec Caesaris nec Ciceronis ep. exstat.

71) cf. VII, 21 § 2.

72) cf. VII, 21 § 1.

73) cf. VII, 21 § 1. Eodem die Ciceronem Calibus in Formianum se contulisse inde apparet, quod ep. VII, 22 mane postridie ex Formiano missa est.

74) In Formianum Ciceronem redisse apparet ex eo, quod Attico scribit (VII, 22 § 2): ‚Terentiam habebis idibus,' mulieres

enim in Formiano erant; cf. VII, 18 § 1. Quodsi Calibus a. d. VI. id. Febr. mane est profectus, ante vesperum eius diei in Formianum pervenire non potuit; est enim iter plus XXX milium passuum. Verisimile igitur est, Ciceronem postero die, mane, hanc ep. dedisse, i. e. V. id. (= 9. Febr.). Neque postea missa esse potest, quoniam vesperi eius diei Cicero eas accepit Philotimi litteras, quibus commoveretur, ut consilium de mulieribus Romam remittendis mutaret, cf. VII, 23 § 1 et 2. De nuntiis de Domitio missis v. VII, 23 § 1.

75) Respicit Cicero ep. VII, 23 ad illas Philotimi litteras, quas vesperi a. d. V. idus accepit: mane igitur a. d. IV. id. eum hanc ad Att. ep. scripsisse putabimus. Neque enim postea haec ep. missa esse potest, quoniam nihil in ea legitur de Cassii litteris — Cassius cum Cicerone in Formiano erat; cf. VII, 23 § 1 — quas tamen a. d. IV. id. venisse cognosci potest ex ep. VII, 24.

76) Ep. VIII, 11, A. Scribit in ea Pompeius: ‚Q. Fabius ad me venit a. d. IV. id. Febr.; is nuntiat e. q. s.' Statim igitur post Fabii adventum, eodem etiam die, Pompeius scripsisse videtur. Accepit Cicero epistulam a. d. XV. kal. Mart. Formiis (cf. VIII, 11, B § 1). Quinque igitur diebus Luceria Formias perlata est.

77) Legitur in ep. VII, 24: ‚Philotimi litterae me quidem non nimis . . . delectarunt: ecce postridie Cassii litterae . . .' A Philotimo Cicero litteras accepit V. id. Febr. vesperi (cf. VII, 23, 1); quibus lectis scripsit ep. VII, 23, ut videtur mane a. d. IV. idus; post datam illam eodem die (‚postridie' post acceptas Philotimi litteras) novae litterae Capua venerunt; iis commotus Cicero scripsit ep. VII, 24. Data igitur est aut a. d. IV. id. etiam, aut, id quod est verisimilius, mane a. d. III. id. (= 11. Febr.). Ep. VII, 25 incipit a verbis: ‚Cum dedissem ad te litteras tristis et metuo ne veras de Lucretii ad Cassium litteris Capua missis, Cephalio venit a vobis, attulit etiam a te litteras hilariores'. Post datam igitur ep. VII, 24 Cicero hilariores Attici litteras accepit, ad quas rescribit. Eodem igitur die missa est, quo VII, 24.

78) Eae Pompei litterae, quae D. Laelio deferendae ad consules traditae sunt, etsi non sunt servatae, tamen quo argumento fuerint, duobus locis traditur. Nam et ipse Pompeius in ep. ad consules missa (Att. VIII, 12, A § 3) ad illas respicit, et Cicero in ep. ad Att. VIII, 3 § 7 eandem epistulam significat. Est autem Ciceronis ep. VIII, 3 data circ. X. k. Mart. (= 20. Febr.); illo igitur tempore Cicero iam cognoverat, quae Pompeius in epistula D. Laelio tradita consulibus scripsisset. Satis

autem accurate definiri potest, quo die de illis mandatis Ciceroni nuntius allatus sit. Nam in ep. ad Pompeium (VIII, 11, D § 1) legimus Ciceronem ipsis illis ad consules mandatis commotum esse ad iter in Apuliam confestim temptandum. Atque quoniam secundum ep. VIII, 2 extr. a. d. XIII. kal. Mart. mane ad Pompeium Formiis profecturus erat, apparet paulo ante illum diem eum de Laelii mandatis certiorem factum esse. Iure autem statui potest a. d. XIV. k. Mart. id esse factum; nam a. d. XV. k. Mart. eum nondum Pompei ad consules mandata cognovisse nec consilium cepisse proficisci ad Pompeium, intellegi potest ex ep. VIII, 11, B. Quodsi consideramus Pompeium Luceriae moratum esse, Ciceronem Formiis, fieri vix potest ut illa mandata post idus Martias Laelio tradita esse putemus. Nam Pompei epistula VIII, 11, A post quinque dies Ciceroni allata est; quare non multum a vero aberrabimus, si epistulam Pompei D. Laelio traditam circ. III. vel pr. id. Mart. scriptam esse statuemus.

Ep. ad Domitium (VIII, 12, B). Legitur in § 1: ‚quam ob rem cum constituisses, ut Vibullius mihi scripserat (cf. VIII, 11, A; VIII, 1 § 1), a. d. V. id. Febr. Corfinio proficisci cum exercitu et ad me venire, miror, quid causae fuerit, quare consilium mutaris . . .' Acceperat Pompeius illum nuntium de Domitii consilio a. d. IV. id.; cf. VIII, 11, A; ex verbis § 1: ‚valde miror te ad me nihil scribere' apparet Pompeium nondum accepisse litteras a Domitio; atqui secundum VIII, 12, C § 1 a. d. XIV. k. Mart. ei Domitii aliqua ep. allata est; sequitur, ut haec Pompei ep. data sit inter a. d. IV. id. Febr. et XIV. kal. Mart. (= 10.—16. Febr.).

79) Ep. VII, 26. Dies ex ipsa ep. colligi vix potest; nam etsi est in § 1: ‚omnia facta erant hoc biduo laetiora' — id quod et Baiterus et Wesenbergius, Gruberum secuti, ad diem ep. VII, 25 pertinere statuerunt, ita ut haec ep. (VII, 26) tertio die post illam, idib. Febr., data sit — tamen Cicero cum dicit ‚hoc biduo', nihil aliud dicit nisi ‚his proximis duobus diebus', neque id necessario ad superiorem epistulam spectat. Mihi veri similius esse videtur epistulam VII, 26 datam esse a. d. XV. kal. Mart. Nam in prima libri sequentis ep. haec leguntur (VIII, 1 § 1): ‚Cum ad te litteras dedissem, redditae mihi sunt litterae a Pompeio: cetera de rebus in Piceno gestis, quae ad se Vibullius scripsisset, de dilectu Domitii, quae sunt vobis nota, nec tamen tam laeta erant in iis litteris quam quae ad me Philotimus scripserat', quae verba pertinere videntur ad ep. VII, 26 § 1: ‚ego enim nunc paulum exorior, et maxime quidem iis litteris, quae Roma adferuntur, de Domitio, de Picentium

cohortibus: omnia erant facta hoc biduo laetiora.' Quodsi ita res se habet, paulo post datam ep. VII, 26 Pompei litterae allatae sunt, eodem die; Pompei autem litteras, de quibus in ep. ad Att. VIII, 1 est sermo, Cicero accepit Formiis a. d. XV. k. Mart. (= 15. Febr.); cf. VIII, 11, B § 1. — Sed quoniam fieri potuit, ut inter ep. VII, 26 et VIII, 1 aliqua ep. intercideret, nihil certius statui potest, quam hoc: ep. VII, 26 datam esse inter id. Febr. et XV. kal. Mart. (= 13.—15. Febr.).

80) Accepit Cicero Pompei epistulam VIII, 11, A a. d. XV. kal. Mart. (cf. VIII, 11, B § 1); secundum ep. VIII, 1 § 2 statim rescripsit: data igitur est ep. VIII, 11, B Formiis a. d. XV. k. Mart. — De Tullio v. § 4.

81) Infra (ad 91) ostendemus Corfinium post septem dierum obsidionem captum esse a. d. IX. kal. Mart. (= 21. Febr). Quodsi ita est, obsideri coeptum est a. d. XV. kal. Mart., id quod infra luculentius etiam apparebit.

82) Ep. VIII, 1. Erraverunt viri docti, quod Ciceronem statim post acceptas Pompei litteras (VIII, 11, A) hanc ad Att. ep. dedisse statuerunt. Venisse illas Pompei litteras, quae in § 1 commemorantur, a. d. XV. kal. Mart., supra dictum est (80); atque Pompeio quidem statim se rescripsisse dicit in huius ep. § 2. Sed hanc ad Att. epistulam fratris puero dedit, qui subito Romam proficiscebatur (§ 1); verisimile autem illum, ut fieri solebat, multo mane profectum esse, ergo a. d. XIV. k. Mart. (= 16. Febr.). Quod confirmatur hac re: propter subitam pueri profectionem Ciceroni deest tempus mittendi Pompei litterarum exempli: ‚cras igitur mittam' (§ 1). Quod exemplum cum ep. VIII, 2 missum est; cf. § 4: ‚id ex Pompei litteris cognosces, in quibus animadvertito illum locum, ubi erit *διπλῆ*.' Epistula autem VIII, 2 a. d. XIII. k. Mart. data est; quodsi is erat crastinus dies, ep. VIII, 1 a. d. XIV. kal. scripta sit necesse est. Nec statim post lectas Pompei litteras Ciceronem hanc ep. dedisse vel ex eo apparere videtur, quod minus accurate Pompei verba affert; cf. § 1: ‚in ea Pompei epistula erat in extremo ipsius manu: tu censeo Luceriam venias; nusquam eris tutius.' Scripserat Pompeius (VIII, 11, A): ‚censeo ad nos Luceriam venias; nam te hic tutissime puto fore.' Data igitur ep. est a. d. XIV. k. Mart. Videtur autem non ex Formiano, ut superiores epistulae (cf. VII, 26 § 3), sed Formiis missa esse; nam Pompei litteras aperte se Formiis accepisse dicit (VIII, 11, B § 1) atque proxima etiam ep. VIII, 2 ad Atticum Formiis conscripta esse videtur (cf. extr. ep.), unde ad Pompeium in Apuliam Cicero profecturus erat. Quamquam haud scio an

idem sit in Formiano atque Formiis esse, id quod conicere possis ex ep. ad Att. IX, 5, in cuius § 1 Cicero loquitur de ‚mansione Formiis', cum tamen pergat: ‚venit ad me etiam Q. Fufius, quo vultu, quo spiritu! properans Brundisium, scelus accusans Pompei, levitatem et stultitiam senatus. haec qui in mea villa non feram, Curtium in curia potero ferre?' Quae coniectura aliis locis fortasse confirmari potest; sed hoc ut leve praetermittamus.

Sed est cur pauca etiam addamus. Scribit enim Cicero in § 1 ep. VIII, 1: ‚ipsam tibi epistulam misissem, nisi tam subito fratris puer proficiscebatur; cras igitur mittam; — sed in ea Pompei epistula erat in extremo ipsius manu: tu censeo e. q. s.' Atqui Pompei illa epistula (VIII, 11, A) sex tantum versuum est: quid igitur causae fuit, cur hos pauculos versus non posset adnectere epistulae suae, si quidem satis temporis erat ad conficiendam hanc minime brevem epistulam? Res explicatur verbis: ‚erat in extremo ipsius manu': miserat Pompeius longiores de rebus in Piceno gestis litteras, quas tamen non ipse scripserat, sed vel dictaverat vel per alium conscribendas curaverat: ipse his litteris paucos illos versus adiecerat, quos legimus VIII, 11, A. Quod ita esse confirmatur iis quae in ep. VIII, 1 § 1 de argumento illarum litterarum leguntur: ‚cetera de rebus in Piceno gestis, quae ad se Vibullius scripsisset, de dilectu Domitii' — de quibus rebus nihil in ep. VIII, 11, A. Apparet etiam ex ep. VIII, 11, B, qua epistula Cicero Pompeio respondit: quae ad multo accuratiores nuntios spectat, quam inveniuntur in ep. VIII, 11, A, cum tamen disertis verbis Cicero dicat, epistula B se rescripsisse ad A. Universae Pompei epistulae Cicero exemplum Attico misit una cum ep. VIII, 2 (cf. § 4); epistulam vero VIII, 11 cum scriberet, illud tantum intererat eius ut mitteret ea quae sua manu Pompeius scripsisset; cf. VIII, 11 § 6: ‚epistularum Pompei neglegentiam meamque in rescribendo diligentiam volui tibi notam esse.'

83) Pompei ad Domitium ep. VIII, 12, C. Respondet Pompeius ad ep. Domitii, quam accepit a. d. XIV. k. Mart. (= 16. Febr.); cf. § 1. Statim rescripsisse videtur, nam a. d. XIII. kal. altera Domitii ep. allata est, ad quam respondet ep. D.

84) Est dies in extr. ep. (VIII, 2); de epistula ad Caesarem missa cf. § 1.

85) cf. ad Att. VIII, 2. extr. cum ep. VIII, 11, D § 1. Ceterum vide ea, quae infra (89) de hoc itinere exposita sunt.

86) A. d. XIII. k. Mart. Pompeio epistula aliqua Domitii allata est; cf. VIII, 12, D § 1; VIII, 6 § 2. Statim sine dubio

Domitio respondit epistulâ VIII, 12, D, atque ad Lentulum consulem (nam ad eum solum, non ad consules, epistulam missam esse, apparet ex pronominis ‚tu' usu atque ex ep. ad Pomp. VIII, 11, D § 3) misit epistulam VIII, 6 § 2, cui exemplum Domitii litterarum adiecit.

87) Ep. VIII, 12, A. Hanc Pompei ad consules epistulam post VIII, 12, B datam esse apparet ex § 1: ‚ad L. Domitium litteras misi, primum, ut ipse... veniret, deinde, si de se dubitaret, ut cohortes... ex Piceno . . ad nos mitteret', quae verba aperte spectant ad B § 2. Sed aliquanto post scripta sit necesse est; pergit enim Pompeius: ‚quod veritus sum, factum est, ut Domitius implicaretur.' Quo efficitur Pompeium iam accepisse a Domitio litteras, quibus certior factus est, illum a Caesare interclusum esse; a Domitio autem litterae allatae sunt a. d. XIV. et XIII. k. Mart. (cf. VIII, 12, C § 1; D § 1). Accedit quod Domitium Pompeius hortatur, ut Luceriam veniat (cf. B § 2); consules vero, ut Brundisium, quo se copias ducturum esse dicit A § 4: ‚placitum est mihi . . . ut Brundisium ducerem hanc copiam ... vos hortor, ut . . . eodem veniatis quam primum.' Verisimile igitur est hanc ep. (A) paulo ante a. d. XI. k. Mart. (= 19. Febr.) datam esse, vel hoc ipso die, quo secundum ep. VIII, 9 extr. Luceria Brundisium versus profectus est. Aliud etiam argumentum addere possum: brevis illa Pompei ad Lentulum consulem ep. (VIII, 6 § 2) a. d. XIII. k. Mart. Luceria data est: in ea Pompeius in dubio reliquerat, utrum Domitio auxilio venturus esset necne (cf. VIII, 11, D § 3: ‚his ego litteris lectis in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copiis ad Corfinium esse venturum'); at in hac (12, A) prorsus aperte scribit (§ 3): ‚cum nihilo magis ego quam vos subsidio Domitio ire possim.' Data igitur est aut a. d. XII. aut XI. k. Mart. (18.—19. Febr.); neque enim postea missa esse potest, quoniam a. d. X. k. Mart. Pompeius iam cognoverat consules in Apulia esse (cf. VIII, 11, C).

88) cf. VIII, 9 extr. Haud paulo ante Scipionem cum duabus cohortibus Brundisium praemiserat, de qua re Cicero iam certior erat factus, cum ep. VIII, 3 conscripsit (cf. § 7).

89) Ep. ad Att. VIII, 3.

Paragraphis inde a prima usque ad sextam conscriptis novi nuntii venerunt, quibus auditis statim Cicero adiecit paragraphum 7; cf. § 7: ‚sed ecce nuntii scribente me haec ipsa noctu in Caleno, ecce litterae, Caesarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu et pugnare cupiente.' Scripta igitur ep. est noctu in agro Caleno, idque in itinere,

cum Calibus Cicero Formias rediret, ut apparet ex § 7 extr. (cf. etiam § 5). — Quodsi statuimus Ciceronem, ut facturum se dixerat in ep. VIII, 2 extr., a. d. XIII. k. Mart. profectum esse Formiis, ut in Apuliam se conferret, ante vesperum eius diei Cales pervenire non potuit; fortasse Teani mansit, ut ibi pernoctaret, et postero die Cales perrexit (cf. VIII, 11, D § 1 sq.). Sed ut vesperi etiam a. d. XIII. kal. Cales venerit, certe ibi mansit a. d. XII. kal. Mart., quoniam non est verisimile eum statim post adventum, eadem nocte, Formias revertisse. Quam diu vero Calibus commoratus sit, aut quando acceperit eos nuntios, qui eum commoverent, ut reverteretur, nescimus; nam in ep. ad Pompeium missa (VIII, 11, D) consulto de ea re tacere videtur. De tempore igitur huius ep. (VIII, 3) nihil accuratius constitui potest, quam inter a. d. XII. et IX. kal. Mart. (nam a. d. VIII. Formias iam redierat; cf. VIII, 4; 5, 1; 6, 1) eam esse datam (18.—21. Febr.); quamquam prorsus est verisimile Ciceronem non plus unum diem Calibus moratum esse; nam admodum timebat Caesaris celeritatem, nolebatque illo tempore suam fortunam cum Pompeio coniungere. Fortasse igitur ea nocte epistula conscripta est, quae est inter XII. et XI. k. Mart., missaque mane a. d. XI. kal. (= 19. Febr.).

90) Ep. VIII, 11, C secundum D § 4 data est Canusio a. d. X. k. Mart. (= 20. Febr.).

91) Legitur in ep. ad Att. IX, 1 § 1: ‚nam Canusio IX. kal. profectus erat Gnaeus.' Eodem die Caesarem Corfinio profectum esse, ut in Apuliam pergeret, colligi potest ex ep. VIII, 14 § 1: ‚eodem enim die video Caesarem Corfinio post meridiem profectum esse, quo Canusio mane Pompeium.' Sed quaeritur, utrum Caesar statim post captum Corfinium ire perrexerit, an paulo iam ante oppido capto a. d. IX. kal. demum castra moverit. Nam L. Langius[a]) circ. XI. k. Mart. (= 19. Febr.) deditionem factam esse statuit, Caesaremque per duos dies Corfinii mansisse putat. Quod tamen et vix est verisimile — nam quis est qui credat Caesarem, illud τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia (cf. VIII, 9 extr.), post captum Corfinium duos dies otio dedisse? — et falsum esse apparet ex ipsius Caesaris commentario. Vesperi enim Domitii milites consilium ceperant portas Caesari aperire (cf. b. c. I, 20); Caesar autem, cum noctu urbem introire nollet, laudaverat legatos atque iusserat milites asservare portas murosque (cp. 21). Nocte Lentulus Spinther ex oppido ad Caesarem venerat cumque eo

a) l. l. p. 412.

de sua salute egerat (cp. 22). Deinde quae postero die facta sunt in cp. 23 exponuntur: ‚Caesar, ubi luxit, omnes senatores . . . produci iubet . . . Hos omnes . . . a contumeliis . . . prohibet . . . dimittit omnes incolumes. HS LX, quod advexerat Domitius . . . reddit . . . Milites Domitianos sacramentum apud se dicere iubet, atque eo die castra movet iustumque iter conficit, VII omnino dies ad Corfinium commoratus, et per fines Marrucinorum . . . in Apuliam pervenit.' Apparet Caesarem eodem die, quo cepit oppidum, profectum esse; atque quod dicit se per septem dies Corfinii moratum esse, id optime se habet. Accepit enim Pompeius a. d. XIII. k. Mart. (= 17. Febr.) epistulam Domitii (cf. VIII, 12, D § 1), in qua scriptum erat, Caesarem apud Corfinium castra posuisse; nihil de ea re in ea epistula erat, quam pridie (a. d. XIV.) Pompeius a Domitio acceperat (cf. VIII, 12, C § 1 sq.); veri simile igitur est Domitium statim post posita castra, vel potius cum ponerentur, litteras misisse. Luceria autem a Corfinio non plus 90 m. p. abest, tertio igitur die certe epistula tam ingentis momenti Pompeio allata est. Quod si ita est, Domitii ep. data est a. d. XV. k. Mart. (= 15. Febr.) atque eodem die Corfinium obsideri coeptum est; septimus vero inde dies est IX. k. Mart. (= 21. Febr.). Recte igitur Nissenus[a]) hoc die Corfinium captum esse statuit.

92) In ep. ad Att. VIII, 4 multa de Dionysio leguntur, cui propter inhumanitatem vehementer Cicero irascitur; ad quam vituperationis plenam ep. respiciens Cicero in ep. VIII, 5 § 1 scribit: ‚cum ante lucem VIII. kal. ad te litteras dedissem, vesperi ad nos eodem die venit ipse Dionysius, auctoritate tua permotus, ut suspicor.' Data igitur est ante lucem, VIII. kal. Febr. (= 22. Febr.).

Ep. VIII, 5 statim post Dionysii adventum, vesperi a. d. VIII. kal. scripta est et nocte data; cf. VIII, 6 § 1: ‚obsignata iam epistula, quam de nocte daturus eram, sicut dedi — nam eam vesperi scripseram — C. Sosius praetor in Formianum venit.' (Ex quo etiam apparet, a. d. VIII. kal. Ciceronem in Formiano fuisse).

93) Epistula VIII, 5 conscripta, C. Sosius praetor in Formianum venit ad M'. Lepidum, vicinum Ciceronis, attulitque exemplum Pompei litterarum; quod exemplum cum ep. VIII, 6 Cicero Attico mittit. Verisimile igitur est, epistulam VIII, 6 mane a. d. VII. kal. Mart. (= 23. Febr.) datam esse.

---

a) l. l. p. 104.

94) Ep. ad Att. VIII, 7; 8; 9.

Certe hoc ordine datae sunt, atque post VIII, 6; nam in ep. 7 Cicero dubitat, num Pompeius Domitio subsidio venturus sit (cf. § 1), contra ep. 6 scribens speraverat magnum Pompei in adventu terrorem fore (§ 3). Cum epistulam 8 scripsit, iam compererat Pompeium Brundisium pergere; rumoresque erant Domitium se tradidisse Caesari. In ep. 9 de tradito Corfinio tamquam de nota re loquitur, cf. § 3: ‚alterum existimari conservatorem inimicorum (id quod spectat ad Caesaris erga Domitium ‚clementiam'), alterum desertorem amicorum.' Atque quoniam ep. 9 a. d. V. kal. Mart. (= 25. Febr.) scripta est (cf. extr. ep.), epistulae 7 et 8 inter a. d. VII. et V. datae sint necesse est. Videtur autem ep. 7 a. d. VII. kal. etiam conscripta esse, quo die multo mane ep. 6. missam esse statuimus; epistulam 8 igitur ad a. d. VI. kal. (= 24. Febr.) referemus.

95) De tempore epistulae VIII, 8 vide 94. De reliquis cf. VIII, 8 § 2; 9 § 4; 11 § 5; 15, A § 3.

96) cf. VIII, 9 § 4 extr.

97) cf. VIII, 9 § 4 cum ep. IX, 10 § 8.

98) Epp. VIII, 10—16. Quin hoc ordine deinceps post ep. VIII, 9 datae sint, non est cur dubitemus. Epistula 16. a. d. IV. non. Mart. (= 4. Mart.) data est; cf. extr. ep.: habemus igitur septem epistulas datas inter a. d. V. kal. et IV. non. Mart. Ciceronem autem hoc tempore cotidie litteras misisse, et in ep. 12 § 1 et in ep. 14 § 1 legitur; facile igitur credemus epistulam 10 datam esse a. d. IV., ep. 11 a. d. III., ep. 12 pr., ep. 13 kalendis, ep. 14 a. d. VI. non., ep. 15 a. d. V. non. Mart., ut septem diebus septem epistulae respondeant.

99) cf. VIII, 11, D § 4, ex quo apparet Ciceronem accepisse Pompei epistulam VIII, 11, C a. d. III. kal. Mart.; cumque ep. ad Att. VIII, 11, cui epistula ad Pompeium VIII, 11, D annexa est, a. d. III. kal. Mart. (cf. 98) data est, apparet etiam epistulam ad Pomp. (VIII, 11, D) eodem die conscriptam esse.

100) De tempore v. 98. Ex Formiano data est ep., ut superiores epistulae; nam quod in ep. VIII, 9 § 3 Cicero scripserat: ‚ego Arpini volo esse pridie kal., deinde circum villulas nostras errare', id consilium non est secutus; cf. VIII, 16 extr.; IX, 1 § 3.

101) Balbi epistulam VIII, 15, A Cicero accepit a. d. V. non. Mart. (= 3. Mart.); cf. VIII, 15 § 1 et 3. Legitur autem

in Balbi epistula (A § 3): ‚Balbi mei tuique adventu delectatum te valde gaudeo e. q. s.'; ex quo intellegitur Ciceronem illi iam nuntiavisse Balbum minorem apud se fuisse. Venerat Balbus minor ad Ciceronem a. d. VI. kal. Mart.; cf. VIII, 9 § 4; quodsi Cicero postero die, V. kal., ad Balbum Romam epistulam de ea re misit, ea ante a. d. III. kal. perferri non potuit. Statuendum igitur est, Balbi epistulam VIII, 15, A inter a. d. III. kal. et ipsas kal. Mart. (= 27. Febr. — 1. Mart.) conscriptam esse.

102) cf. IX, 3 § 2.

103) De epistulis IX, 7, A et B et C simul dicendum est. Nam ita inter se cohaerent, vix ut fieri possit, ut disputatio de iis divellatur. Est autem A epistula Balbi et Oppii ad Ciceronem missa, C epistula Caesaris ad Balbum et Oppium, quae paulo post illis allata est, quam communes ad Ciceronem litteras dederunt; B est epistula Balbi paulo post allatam Caesaris epistulam C ad Ciceronem data; cf. B § 1.

Ac primum quidem de ep. C videamus. Legitur in eius § 1: ‚Gaudeo mehercule vos significare litteris, quam valde probetis ea, quae apud Corfinium sunt gesta'. Apparet igitur Oppium et Balbum accepto de rebus Corfiniensibus nuntio Caesari litteras misisse, ad quas ille hac ep. respondet. Captum Corfinium est a. d. IX. kal. Mart. (= 21. Febr.). Quodsi hic nuntius iam a. d. VII. kal. Romam perlatus est eodemque die Balbus et Oppius litteras composuerunt (= 23. Febr.), tamen eae litterae ante a. d. III. vel pr. kal. Mart. (= 27.—28. Febr.) Caesari redditae esse non possunt, quoniam is statim post captum Corfinium in Apuliam versus profectus erat, idque tam celeriter ut kal. Mart. iam Arpis esset. Fortasse igitur haec Caesaris ep. (C) ipsis kal. Mart., quo die Arpis mansisse eum legimus in ep. IX, 3 § 2, conscripta est; quod si ita est, Romam non ante perlata est quam circ. a. d. III. non. Mart. (= 5. Mart.). — Quae si recte exposita sunt, iam epistulae A et B certis terminis circumscribi possunt: est enim A paulo ante a. d. III. non. Mart. data, B paulo post illum diem, fortasse postridie. Atque quoniam in ep. B § 1 Balbus sic scribit: ‚posteaquam litteras communes cum Oppio ad te dedi (= A), ab Caesare epistulam accepi (= C), cuius exemplum tibi misi . . .' apparet Balbum nullam ad Ciceronem misisse epistulam, quae inter A et B esset ponenda. Miserat autem Balbus (cf. 101) ad Ciceronem epistulam VIII, 15, A inter a. d. III. kal. et ipsas kal. Mart. (= 27. Febr.—1. Mart.); quare necesse est epistulam IX, 7, A inter kal. Mart. et a. d. III. non. Mart. (1.—5. Mart.) datam esse.

Cumque Ciceronis epistula ad Att. IX, 7, cum qua A, B et C missae sunt, a. d. III. id. Mart. (= 13. Mart.) scripta sit, sequitur ut Balbi ep. B inter a. d. III. non. et III. id. Mart. (5.—13. M.) data sit; quamquam prorsus est veri simile Balbum statim post allatam Caesaris epistulam (C) Ciceroni scripsisse; id quod confirmatur ep. IX, 7 § 3: ‚id me iam pridem agere intelleges ex litteris Balbi et Oppii, quarum exempla tibi misi.'

Statuere igitur mihi videor posse Caesaris epistulam IX, 7, C datam esse circ. kal. Mart. atque Romam allatam esse circ. a. d. III. non Mart.; epistulam IX, 7, A, quae ante allatam Caesaris ep. conscripta est, datam esse circ. a. d. V. non. Mart.; epistulam IX, 7, B circ. pr. non. Mart.

104) cf. VIII, 15 § 3. De die, quo ep. VIII, 15 data sit, v. 98.

105) cf. IX, 6 § 3 cum IX, 9 § 2; quod enim priore loco de ipsius Pompei profectione nuntiatum erat, id falsum fuit; sed consules saltem cum parte copiarum mare transisse cognoscitur ex ep. IX, 9 § 2.

106) cf. IX, 1 § 1.

107) Ep. ad fam. VIII, 15. Hanc post Corfiniensem victoriam datam esse, ex ipsa § 1 concludere possis: ‚ecquem autem Caesare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in victoria temperatiorem aut legisti aut audisti?' Erat enim post captum Corfinium Caesaris ‚clementia' omnium in ore. Sed manifestum id fit iis, quae in exeunte epistula leguntur, ubi facete Caelius Caesaris factum cum Bellieni, servi cuiusdam, comparat: is enim Bellienus, cum Domitium quendam, nobilem oppidi Intimelii civem, necavisset, maximas in eo oppido turbas civiles moverat, quarum sedandarum causa Caelium Caesar cum militibus Intimelium proficisci iusserat. Quas res Caelius postquam exposuit, sic pergit: ‚usque quaque, inquis, se Domitii male dant. vellem quidem Venere prognatus (= Caesar) tantum animi habuisset in vestro Domitio, quantum Psecade natus (= Bellienus) in hoc habuit.' Irridet igitur Caesaris erga Domitium clementiam: Domitius enim apud Corfinium a Caesare captus et dimissus erat. Data igitur est ep. post a. d. IX. kal. Mart. (= 21. Febr.). Legitur autem in § 1 extr.: ‚quae tibi exponere nisi coram non possum, idque celeriter fore spero; nam me, cum expulisset ex Italia Pompeium, ad urbem constituit vocare; id quod iam existimo confectum, nisi si maluit Pompeius Brundisii circumsederi.' Caelio igitur veri simile esse videtur Caesarem iam expulisse Pompeium ex Italia, nisi Brundisii oppidi obsidio moras attulerit. Abest autem Brundi-

sium a Corfinio circ. 300 m. p.; itaque si quotidie Caesaris exercitus 20 vel 25 m. p. percurrebat, ad totum iter conficiendum — neglectis plane diebus quieti datis — opus erant 12 vel 15 dies. Revera a. d. VII. id. Mart. (= 9. Mart.), post sextum decimum diem, Brundisium Caesar pervenit. Quodsi non nimiam Caelius Caesari tribuit celeritatem, multo verisimilius est ineunte Martio quam exeunte Februario hanc ep. datam esse.

108) Nonis Martiis (cf. IX, 2ª § 1).

109) Legitur in ep. ad Att. IX, 6 § 6: ‚venit ab eo (Caesare) Furnius, ut quidem scias quos sequamur: Q. Titinii filium cum Caesare esse nuntiat, sed illum maiores mihi gratias agere quam vellem; quid autem me roget . . . cognosce ex ipsius epistula'. Videtur Furnius eodem die, quo Cicero haec scripsit, cum Caesaris epistula venisse, i. e. a. d. V. id. Mart. (= 11. Mart.). Caesar autem, cum breves has litteras scripsit, in itinere fuit: ‚Cum Furnium vidissem tantum ... properarem atque essem in itinere, praemissis iam legionibus, praeterire tamen non potui e. q. s.' Apparet illud iter significari, quod Corfinio Brundisium Caesar fecit: data igitur est epistula inter IX. kal. et VII. id. Mart. (= 21. Febr.—9. Mart.); sed cum Ciceroni a. d. V. id. reddita esse videatur, iure eam haud ita multo ante nonas scriptam esse putabimus.

110) IX, 2ᵇ novam ep. esse non est cur demonstrem. Responderat Cicero nonis Martiis ad Attici aliquam ep. IV. non. datam (cf. IX, 2ª et IX, 10, 8); sed exspectabat eo die longiorem ep., quam eum accepisse apparet ex ep. IX, 2ᵇ § 1 et 3. Ea Attici ep. data erat a. d. III. non., ut cognoscitur ex ep. IX, 10, 9 coll. cum ep. IX, 2ᵇ § 2 extr.; verisimile igitur est eam ipsis nonis, ut exspectaverat Cicero, in Formianum allatam esse. Quod si ita est, Ciceronis responsum IX, 2ᵇ aut nonis etiam, aut — id quod est verisimilius — mane a. d. VIII. id. datum est. Nam quominus ad posterius tempus epistulam referamus, prohibet ep. IX, 3 § 1.

De Attici die natali. Legitur in ep. IX, 5 § 1: ‚Natali die tuo scripsisti epistulam ad me plenam consilii . . . eam mihi Philotimus postridie, quam a te acceperat, reddidit.' Attici epistula, de qua hoc loco est sermo, conscripta est inter a. d. III. non. et VII. id. Martias; nam ad ep. a. d. III. non. datam Cicero respondit ep. IX, 2ᵇ; ei epistulae quae VII. id. missa erat, rescripsit a. d. III. id. ep. IX, 7 (cf. IX, 10 § 10 cum IX, 7 § 2). Est autem ep. IX, 5 composita a. d. VI. id., non a. d. V., ut mox (113) ostendam. Atque cum in ep. IX, 3 a. d. VII. id. data nihil legatur de Attici litteris die natali

conscriptis, sequitur ut Cicero eas acceperit aut a. d. VII. id. vesperi (post datam ep. IX, 3) aut a. d. VI. Prius tamen verisimilius. Nam Philotimus duobus diebus Roma in Formianum iter fecerat, ad quod iter perficiendum plerumque tribus diebus opus erat; certe igitur, etiamsi multo mane Roma profectus erat, ante vesperum alterius diei Formias pervenire non potuit; epistula autem IX, 5 mane a. d. VI. scripta esse videtur, quoniam Atticus ad eam iam a. d. IV. rescripsit, id quod cognoscitur ex ep. IX, 9 § 1 (v. etiam 113). Quod si ita est, Atticus Philotimo epistulam perferendam tradiderat mane a. d. VIII. id.; quam si eodem die conscripserat, VIII. id. est Attici dies natalis. Sed fortasse pridie iam — nonis — eam composuerat; neque enim ex Ciceronis verbis supra allatis cognosci potest, num eodem die Attici epistula et scripta et data sit; quare utrum natalis ad a. d. VIII. id. an ad nonas referendus sit, non di iudicaverim.

Ceterum suspicio mihi iniecta est primum epistulae IX, 5 verbum (‚natali') spurium esse explicationis causa ad verba ‚die tuo' additum et esse hoc loco sermonem de morbo Attici, ut in ep. IX, 2[a] (‚die tuo') et IX, 4 extr. et IX, 8 extr. (‚diem tuum'). Quod argumentis demonstrari nequit; sed probabile id esse eo magis mihi videtur, quod in epistulis reliquorum annorum datis mense Martio dies natalis Attici numquam significatur.

111) cf. IX, 3 § 2.

112) cf. IX, 13, A § 1.

113) Epp. ad Att. IX, 4—8.

Epistula IX, 8 certe, ut editores volunt, pr. id. Mart. (= 14. Mart.) scripta est. Scribit enim Cicero sic, ut facile cognoscas eum statim rescripsisse ad Attici epistulam, quam pr. id. accepit; cf. § 1: ‚Cenantibus II. id. nobis, ac noctu quidem, Statius a te epistulam brevem attulit. de L. Torquato quod quaeris e. q. s.' In extrema ep. legitur: ‚puto enim diem tuum heri fuisse;' atque cum febris quartana nonis Martiis incessisset (cf. IX, 2), necesse erat eam denuo incidere in a. d. VI. id. et deinceps in a. d. III. id., ut vel ex hoc efficiatur hanc ep. die post a. d. III. id., i. e. pr. id. etiam, scriptam esse. Sed de ceteris epistulis valde dubitare licet, num recte ab editoribus sint definitae.

Nam ineunte ep. 7 haec leguntur: ‚Scripseram ad te epistulam, quam darem IV. idus, sed eo die is, cui dare volueram, non est profectus.' Cicero igitur a. d. IV. id.

epistulam scripsit ille quidem, sed non potuit dare, quare ea epistula, si quidem data est, non prius quam a. d. III. id. data esse potest. Atqui Gruberus editoresque epistulam IX, 6 a. d. IV. id. scriptam esse statuunt; quod si recte se habet, data illa non prius quam a. d. III. esse potest, Attico vero reddita non prius quam prid. idus; nam si celeriter perferuntur epistulae — moratur autem Cicero Formiis, Atticus Romae — postridie quam datae sunt redduntur; plerumque die tertio accipiuntur (cf. IX, 5 § 1; IX, 9 § 1; imprimis VIII, 14 § 1: ‚nec in his locis quae a Brundisio absunt propius biduum aut triduum' sc. quam Roma). — At nullo modo id fieri potest. Nam secundum ep. IX, 9 § 1 Cicero postridie idus trinas Attici litteras accepit, datas deinceps a. d. IV., III., pr. idus. Quibus epistulis iusto ordine respondere se ait velle. Itaque § 1 ad illas litteras rescribit, quas IV. id. Atticus dederat; § 2 vero ad epistulam Attici a. d. III. id. datam. Huius loci verba haec sunt: ‚venio ad alteram nunc epistulam: recte non credis de numero militum; ipso dimidio plus scripsit Clodia. falsum etiam de corruptis navibus: quod consules laudas, ego quoque animum laudo e. q. s.' Haec verba spectant ad ep. IX, 6, qua Cicero cum Attico communicaverat, quae de discessu Pompei Clodia scripsisset (§ 3): ‚Pompeius mare transiit cum omnibus militibus e. q. s.' Quos quidem nuntios Atticus in ep. a. d. III. id. data scripserat esse exaggeratos, id quod Cicero in ep. IX, 9 § 2 confirmat ita esse. Ergo necesse est Atticum a. d. III. id., quo die suam scripsit epistulam, iam accepisse Ciceronis ep. IX, 6; quod si ita est, haec non potest esse scripta a. d. IV. id., sed ante eum diem; nam quae ep. illo die scripta est, ea, ut supra ostendimus, a. d. III. id. demum data esse potest, quam ob causam hoc eodem die Attico reddita esse nequit. Quodsi pridie eius diei, quem editores ascribunt, statuimus eam esse scriptam datamque, hoc est a. d. V. id., omnis difficultas tollitur. Atque hunc quidem ante diem eam non esse ponendam, mox apparebit.

Nam ep. IX, 3 a. d. VII. id. scripta est (cf. § 2); epistulam IX, 5 autem post illam esse datam cum ex universa epistula, tum illis quae de Postumo leguntur (§ 1) apparet. Eadem ep. IX, 5 ante IX, 6 ponenda est, cum in illa nondum sciat Cicero, quomodo se habeat res Brundisina (IX, 5 § 3 extr.), secundum ep. IX, 6 § 3 vero nuntius ei Capua allatus sit, Pompeium cum omnibus copiis mare transisse. Atque quoniam ostendimus epistulam IX, 6 ante a. d. IV. id. scriptam esse, cum ep. IX, 5 post a. d. VII. id. ponenda sit, duo relinquuntur dies, quibus necesse est has duas epp. scriptas esse statuamus. Itaque epistulae IX, 5 dies VI.

id. Mart. (= 10. Mart.), epistulae IX, 6 dies V. id. ascribendus est. Atque epistulam IX, 5 pridie IX, 6 datam esse, vel ex iis colligi potest, quae in ep. IX, 9 § 1 leguntur. Scripserat enim Cicero in ep. IX, 5 § 1 de Pompeio: ‚sic ego decem annorum peccata recordans ... suscensebam; sed ea iam mihi exciderunt: beneficia eiusdem cogito ...' Ad quae respiciens Atticus in ea ep., quam IV. id. dederat, laudaverat Ciceronem, id quod apparet ex ep. IX, 9 § 1: ‚quod laudas, quia oblivisci me scripsi ante facta et delicta nostri amici, ego vero ita facio.' Ex quo apparet, a. d. IV. id. Atticum respondisse ad ep. Ciceronis IX, 5. Statuendum igitur est hanc ep. IX, 5, ad quam pridie eius diei rescribit Atticus, quo ad ep. IX, 6 respondet, etiam die ante IX, 6 datam esse, ita ut et ad IX, 5 et ad IX, 6 tertio postquam utraque data est die Atticus rescribat, id quod multo est verisimilius, quam postridie iam utrique eum respondisse.

Sed iam est quaerendum, quo die ep. IX, 4 data sit, cui quidem editores ascribunt diem VI. id. Mart., quoniam secundum eorum rationem eo die alia epistula data non est. At iam inde ab a. d. VII. id. usque ad a. d. V. id. unicuique diei una epistula respondet: est enim ep. IX, 3 data a. d. VII. id., IX, 5 a. d. VI., IX, 6 a. d. V., ut supra demonstratum est. Num igitur ep. IX, 4 eodem die, quo aliqua illarum epistularum, scripta esse putanda est? Vix credendum, quoniam ne minima quidem vocula eiusmodi quid significatur. Atque a. d. VI. id., ut editores volunt, eam scriptam esse non posse, facile est demonstrare. Nam in extrema hac ep. legimus: ‚si enim recte ambulaverit is, qui hanc epistulam tulit, in ipsum tuum diem incidit.' Quodsi nonis Martiis dies Attici fuerat, proximus erat a. d. VI. id. (cf. quae ipse Gruberus p. 17 ad ep. 349 adnotat); litterae vero a. d. VI. id. datae Attico non prius quam a. d. V. reddi poterant, etiamsi rectissime ambularetur. Nec vero consultationes huius epistulae Graece scriptae cum illo tempore bene coire videntur. Quaerit enim Cicero: ‚*Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ; εἰ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι; εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην; εἰ τοῖς εὐεργέταις συγκινδυνευτέον κἂν μὴ δοκῶσι εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων;*' — Quid sibi volunt hae quaestiones hoc tempore, cum nondum scit Cicero, quemnam exitum res Brundisinae habuerint, cum unicuique epistulae clausulam adicit, exspectare se velle, dum quid actum Brundisii sit sciatur, tum ex re et ex tempore consilium se esse capturum? (cf. IX, 2; 3; 5 extr.). At optime intelleguntur, si a Cicerone tum scribuntur, cum nuntius de Pompeio in Epirum profecto allatus est. Iam hoc significant: ‚Faciendum

est ut e patria vi atque armis expugnata cedam? ut hieme periculosis maris tempestatibus me committam? ut Italiae extrinsecus bellum inferam patriamque devastem? ut Pompeium, qui multis me affecit beneficiis, trans mare sequar, etiamsi quam stultissime se gesserit?' Accepit autem Cicero a. d. V. id. Mart. nuntium (falsum illum quidem, ut postea cognitum est, sed tamen accepit) Pompeium cum omnibus copiis mare transisse; eodemque die ad Atticum misit epistulam illum nuntium continentem (IX, 6 § 3). Certe igitur ep. IX, 4 post IX, 6 ponenda est; atque inter IX, 6 et 7 si eam ponimus, omnia mirum in modum congruunt. Nuntium illum terroris plenum iam quies quaedam omnium rerum subsecuta est; novi non iam nuntii afferuntur; itaque potest fieri, ut Cicero in ep. IX, 4 § 1 scribat: ‚et ipse egeo argumento litterarum et tibi idem accidere certo scio: quae enim e. q. s.' Similia leguntur in ep. IX, 7 § 7: atque ne haec quidem epistula quicquam novi continet; plena est meditationum quaestionumque, aeque ac IX, 4. Quid igitur, si ep. IX, 4 sit ea, quam Cicero in ep. IX, 7 § 1 ait se dare voluisse a. d. IV. id., sed non potuisse, quia is cui dare voluisset non esset profectus? Nam epistulam IX, 4 non Attici pueris vel uni ex Ciceronis servis traditam esse apparet ex iis verbis, quae extremo loco leguntur: ‚si enim recte ambulaverit is e. q. s.;' servo quidem necessario recte ambulandum erat. Hic igitur ‚is', quem Cicero significat, secundum ep. IX, 7 § 1 non est profectus. Quin certius etiam indicium habemus, ep. IX, 4 a. d. IV. id. scriptam esse, quoniam si recte ambulabat qui eam ferebat, in Attici diem incideret necesse erat. Qui dies est a. d. III. id., id quod apparet ex ep. IX, 8, quam pr. id. datam esse supra demonstravimus; legitur enim in ea: ‚puto . . diem tuum heri fuisse.' Quodsi ep. IX, 4 a. d. IV. id. scripta erat, si non nimis tabellarius in itinere morabatur, a. d. III. id. Attico reddi poterat.

Quae cum ita sint, series epistularum est haec: IX, 3 scripta est a. d. VII.; IX, 5 a. d. VI.; IX, 6 a. d. V.; IX, 4 a. d. IV. (sed non data est eo die); IX, 7 a. d. III.; IX, 8 pridie idus Martias.

114) cf. IX, 6 § 1. 3. 6.

115) IX, 13, A est Balbi ad Ciceronem epistula, cui inserta est Caesaris ad Balbum et Oppium epistula. Ep. ad Att. IX, 13, cum qua Cicero has epistulas Attico misit (cf. § 8), data est a. d. IX. k. Apr.; sequitur ut ante eum diem Cicero Balbi litteras acceperit. Ea epistula, quae inserta est, Caesar Balbo

et Oppio nuntiavit se a. d. VII. id. Mart. Brundisium venisse Pompeiumque ad se N. Magium de pace misisse. Apparet igitur, inter a. d. VII. id. Mart. et IX. kal. Apr. (= 9.—22. Mart.) et Caesaris epistulam Brundisio Romam, et Balbi Roma in Formianum perlatas esse. Octo autem vel novem diebus tabellarius Romam Brundisio pervenire potuit[a]: quare non multum a vero aberrabimus, si Caesaris epistulam circ. a. d. IV. id. Mart. (= 12. Mart.), Balbi epistulam circ. XIII. k. Apr. (= 20. Mart.) scriptam esse putabimus.

116) cf. IX, 14 § 1.

117) cf. IX, 9 extr.: ‚data Liberalibus.'

118) cf. IX, 15 § 6.

119) Legitur in ep. IX, 10 § 1: ‚ad tuas omnes rescripseram pridie'; quod pertinet ad ep. IX, 9 (cf. § 1). Ergo data a. d. XV. k. Apr. (= 18. Mart.).

120) cf. IX, 15 § 6.

121) Legitur in ep. ad Att. IX, 11 § 1: ‚Lentulum nostrum scis Puteolis esse; quod cum e viatore quodam esset auditum ... misi ... litteras. inventus est vix in hortis suis se occultans, litterasque mihi remisit, mirifice gratias agens Caesari; de suo autem consilio C. Caecio mandata ad me dedisse. eum ego hodie exspectabam, id est XIII. k. Apr.' Lentuli litteras, de quibus hoc loco est sermo, pridie Cicero accepisse videtur, a. d. XIV. kal.; nam a. d. XV. kal. Attico scribit (IX, 10 § 1): ‚nihil habebam quod scriberem; neque enim novi quicquam audieram . . .' Quibus Lentuli litteris Cicero commotus est, ut Caesari scriberet epistulam IX, 11, A; cf. extr. ep.: ‚ego cum antea tibi de Lentulo gratias egissem, quod ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses, tamen lectis eius litteris e. q. s.' Aut igitur a. d. XIV. k. Apr. haec Ciceronis ad Caesarem ep. data est, aut a. d. XIII., quo die Cicero exemplum eius ad Atticum misit.

122) Ep. ad Att. IX, 11. Est discrepantia numeri in codd.; sed ‚a. d. XIII' quin scribendum sit mihi non est dubium. Legitur enim in § 1: ‚eum (Caecium) ego hodie exspectabam, id est XIII (XIIII?) kal. Apr. venit etiam ad me Matius Quinquatribus . . . (§ 3) pridie autem apud me Crassipes fuerat.'

---

a) cf. O. E. Schmidt l. l. p. 11 (Bardt l. l. p. 22).

Quinquatrus cadere in a. d. XIV. kal. Apr. constat: hoc igitur Cicero dicere videtur: Cassium hodie exspectabam; heri, i. e. Quinquatribus, Matius quoque ad me venit; Crassipes pridie Quinquatrus apud me fuerat. Quodsi numerus XIV. kal. recte se haberet, satis molesta interpretatio esset: Caecium hodie exspectabam, i. e. XIV. kal.; eodem die Matius ad me venit — sunt autem Quinquatrus — heri autem Crassipes apud me fuerat. Quasi Attico dicere debuisset, a. d. XIV. k. esse Quinquatrus! Observes etiam tempora: exspectabam, venit, fuerat.

123) cf. IX, 12 § 1.

124) Inde a § 8 epistulae IX, 13 (‚tene haec posse ferre? omnia misera, sed hoc nihil miserius . . .') novam epistulam incipere, mihi persuasum est. Nam si paragraphum primam accurate cum § 8 compares, facile intellegas haec eodem die scripta esse non posse. Est autem ep. IX, 13[b] (= § 8 sq.) data a. d. IX. kal. Apr. (v. 125); cumque in ep. IX, 13[a] (§ 2) dicat Cicero se respondere ad Attici litteras a. d. XI. kal. acceptas, verisimile est hanc datam esse a. d. X. kal. (= 23. Mart.).

125) Epistulam IX, 13[b], cum qua Balbi litterarum exemplum missum est, a. d. IX. kal. datam esse, apparet ex ep. IX, 14 § 1.

126) cf. IX, 15 § 6 cum IX, 14 § 3.

127) cf. IX, 15 § 6.

128) cf. IX, 15 extr., ubi Wesenbergius veram lectionem praebet.

129) cf. IX, 16 § 1: ‚ne quem diem intermitterem, has litteras dedi. a. d. VI. k. Caesarem Sinuessae mansurum nuntiabant: ab eo mihi litterae redditae sunt a. d. VII. kal.' Data igitur a. d VII. kal. Apriles. — Caesaris litterae Brundisio etiam datae esse videntur, quoniam nihil in iis legitur de Pompei profectione ipsiusque in oppidum introitu: ergo circ. medium Martium conscriptae.

130) cf. IX, 14 extr.; 15 § 1.

131) cf. IX, 17 § 1.

132) cf. IX, 16 § 1.

133 & 134) Epistulam IX, 18 paulo post datam esse, quam cum Cicerone Caesar est collocutus, totum argumentum docet.

Quodsi illis nuntiis, quos ter eodem modo Cicero accepit (cf. 14 § 3; 15 § 1; 15 § 6 ubi recte Wesenbergius) fidem habere debemus, Caesar a. d. VII. k. Apr. Capuae fuit, a. d. VI. Sinuessae (cf. etiam 16 § 1) mansit; ergo postridie (a. d. V. kal. = 28. Mart.) eum Formiis Ciceronem convenisse verisimillimum est. Inde Caesar (cf. § 3) ‚continuo' in Pedanum; Cicero Arpinum: ‚inde exspecto equidem λαλαγεῦσαν illam tuam.' Vix igitur potest dubitari, quin Cicero hanc epistulam (IX, 18) a. d IV. kal. (= 29. Mart.) Arpino dederit.

135) cf. IX, 19 § 1.

136) Legitur in ep. IX, 15 § 6 voluisse Caesarem ad urbem esse ante kal. Apriles; nec tamen multo ante kal. Romam pervenire potuit, si quidem a. d. VI. kal. Sinuessae mansit, a. d. V. Formiis Ciceronem convenit. Verisimile igitur est eum a. d. III. vel pr. kal. ad urbem accessisse. Ipsis kalendis senatum frequentem adesse se velle, Formiis proscribi iusserat; cf. IX, 17 § 1.

137) Legitur in ep. IX, 19 § 2: ‚etiam equidem senatus consulta facta quaedam iam puto, utinam in Volcacii sententiam.' Neque igitur ante kalendas Apriles data esse videtur, quoniam kalendis Caesar primum senatum habere statuerat (cf. 136). Fortasse postridie kal. scripta est: quocum id quidem congruit, quod ab Attico litteras, quas hac ep. petivit (§ 4: ‚tu velim Cephalioni litteras des') nonis Aprilibus accepit (cf. X, 2 § 1); nam Arpino Romam epistulae altero die perferri solent.

138) cf. X, 1 § 1.

139) cf. X, 2 § 1.

140) A. d. VII. id. Apr. iam Cicero de Caesare ex Attico quaerit: ‚profectusne esset, quo in statu urbem reliquisset, in ipsa Italia quem cuique regioni aut negotio praefecisset?' (X, 3). Pauculos tantum dies Caesarem Romae commorari voluisse, legimus in ep. IX, 15 § 6. Atque postridie idus eum iam aliquamdiu fuisse profectum apparet ex ep. X, 4 § 8. Nec plus sex vel septem dies eum in urbe mansisse iure colligi potest ex ep. X, 8 § 6: ‚quippe qui florentissimus ac novus VI, VII diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit.' Verisimile igitur est eum circ. postridie non. Apr. (= 6. Apr.) esse profectum. Vulgo profectio ad medium Aprilem refertur[a]).

a) Recte Langius l. l. p. 415.

141) cf. X, 3[b] § 1.

142) cf. X, 4 § 5 et 6; § 11.

143) cf. ibid. § 7.

144) cf. ibid. § 8.

145) cf. X, 5 extr.

146) cf. X, 8, B extr.

147) Epistulam X, 9, A (= ad fam. VIII, 16) Caelius Ciceroni misit ex itinere, cum Caesarem in Hispanias sequeretur (cf. § 4). Est idem harum litterarum argumentum, quod Caesaris epistulae datae a. d. XV. k. Maias (X, 8, B): omnibus precibus Ciceronem Caelius rogat, ne Italiam relinquat neve Caesarem offendat. Quin dicit Caelius se ipsum commovisse Caesarem, ut Ciceroni illas litteras (X, 8, B) mitteret; cf. § 4. Verisimile igitur est et Caesaris et Caelii epistulam eodem fere tempore esse datam; praesertim cum eodem die utramque Cicero accepisse videatur: nam Caesaris litteras a. d. VI. non. Maias sibi allatas esse dicit in ep. X, 8; paulo post datam ep. X, 8 (eodem etiam die aut postridie) etiam Caelii litterarum exemplum Attico misit (X, 9, A): apparet igitur hanc quoque circ. XV. kal. Mai. datam esse.

148) Epp. ad Att. X, 6 et 7 post ep. X, 5 datas esse apparet ex iis, quae in utraque de Quinto puero leguntur; cf. 6 § 2; 7 § 3. Legitur autem in ep. X, 7 § 2: ‚iniecta autem mihi spes quaedam est velle mecum Ser. Sulpicium conloqui; ad eum misi Philotimum libertum cum litteris.' Quod necesse est factum sit ante a. d. III. kal. Maias: nam eo die Philotimus Ciceroni misit litteras a Sulpicio acceptas; cf. ad fam. IV, 2 § 1. Sunt igitur termini XIV. kal. et IV. kal. Mai. (= 17.—27. Apr.).

149) cf. X, 7 § 1 et 3.

150) Epistula ad fam. IV, 1 est ea, quam per Philotimum Cicero Sulpicio misit, de qua re est sermo in ep. X, 7 § 2. (v. 148).

151) cf. X, 16 § 3.

152) cf. ad fam. IV, 2 § 1 cum ep. ad Att. X, 9 § 3.

153) Epistulam ad fam. V, 19 eodem fere tempore scriptam esse, quo ep. ad fam. IV, 2, concluditur ex simili utriusque argumento; cf. imprimis IV, 2 § 2 cum V, 19 § 2.

154) cf. X, 8 § 10 extr. et quae sequuntur.

155) v. 147.

156) cf. X, 8 § 10 extr.

157) Ep. ad Att. X, 9. Est in § 1 sermo de Philotimi adventu: is venerat a. d. VI. non. Maias; cf. X, 8 (ea verba quae exstant inter A et B): aut igitur eodem illo die, aut mane a. d. V. non. ep. X, 9 data est. — De ep. X, 10 cf. § 3.

158) cf. X, 10 § 3 et X, 11 § 4.

159) Respondet Cicero epistula ad fam. II, 16 ad Caelii epistulam VIII, 16: mense igitur Aprili, ut editores volunt, haec ep. data esse nequit, siquidem Cicero ineunte demum Maio et Caelii et Caesaris litteras accepit (v. 147): ad ineuntem igitur Maium haec ep. referenda est.

160) cf. X, 11 § 4 cum X, 10 § 3.

161) Epistulam X, 12 iure Wesenbergius ex Wielandi coniectura in duas seiungit, quarum prior pertinet usque ad § 4^{ae} verba: ‚scies quidquid erit'. — Videtur autem ep. X, 12^{a} a. d. III. non Maias scripta esse: nam in ep. X, 11 § 4 Cicero speraverat Antonium a. d. IV. non. se conventurum esse: in hac vero queritur: ‚nec me tamen adhuc viderat'.

162) Epistulam X, 12^{b} paulo post 12^{a} datam esse simile argumentum demonstrat: aut eodem die data est aut postridie.

163) cf. X, 13 § 2 cum X, 14 § 1.

164) cf. X, 14 § 1.

165) cf. X, 15 § 3.

166) cf. X, 15 extr. (‚excurro in Pompeianum') cum X, 16 § 4.

167) cf. X, 16 § 4.

168) A. d. IV. id. Cicero in Pompeianum profectus est, unde postridie (III. id.) in Cumanum revertit (cf. X, 16 § 4)[a].

---

a) Secundum ea, quae in ep. ad. Att. X, 16 § 4 leguntur, Cicero a. d. IV. id. ex Cumano profectus in Pompeianum pervenit: quam ob rem in ep. ad fam. VII, 3, anno 708 data, numerus corrigendus esse videtur: legitur enim in eius ep. § 1: ‚nam a. d. III. id. Maias, Lentulo et Marcello consulibus, cum in Pompeianum vesperi venissem . . .' Pro ‚III' legendum est ‚IIII'.

Quo simulatque venit Attici epistula ei reddita est (ibid.). Sed dum ipse aberat, Hortensius in Cumanum Terentiam salutatum venerat (§ 5); quem tamen iterum ad se venturum sperat (ibid.). Legitur autem in ep. X, 17 § 1: ‚Pridie idus Hortensius ad me venit ‚scripta epistula'. Apparet igitur, Hortensium paulo post conscriptam ep. X, 16 in Cumanum venisse. Data igitur est pr. id. Mai. (= 14. Mai.).

169) cf. X, 17 extr.

170) cf. X, 18 § 1 et 2.

171) cf. ad fam. XIV, 7 § 2 et extr. Formiis (hoc est ex portu Caietano) Ciceronem ad Pompeium profectum esse apparet ex ep. ad fam. VIII, 17 § 1.

3 2044 019 373 778

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 (617) 495-2413

WIDENER
SEP 10 1997
WIDENER
JUL 3 1997
BOOK DUE
CANCELLED